

Caspar Mauritius Johannes Vorst

De Divinae Gratiae In Hominibus Tum Primum Convertendis, Tum In Fide Conservandis Efficacia Et Operandi Modo : Dissertatio Inauguralis

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740005731>


Druck Freier  Zugang



R. u. N. 1655

Mauritius, Casper / C

Vort. i. Vorkius, Johann



7

DE
DIVINÆ GRATIÆ
IN HOMINIBUS TUM PRIMUM
CONVERTENDIS. TUM IN FIDE CON-
SERVANDIS EFFICACIA ET OPERAN-
DI MODO
DISSERTATIO INAUGURALIS,
QUAM
MORE MAJORVM
AD IMPETRANDAM LICENTIAM
CAPESSENDI SUMMUM THEOL. GRADUM
IN ILL. ACAD. ROSTOCHIENSI,

EX DECRETO VENERABILIS QUI IBIDEM EST,
THEOLOGORVM ORDINIS,

PRÆSIDE

REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. CASPARO MAURITIO,

SS. THEOL. D. AC PROFESSORE, ECCL.
ROST. SUPERINTENDENTE, ET AD ÆD. D. MAR. PA-
STORE, IN HOC ACTU DECANO,

AD DIEM VIII. NOVEMBRIS; SI

DEUS DEDERIT, ANTE ET POST MERIDIEM PU-
BLICO EXAMINI SUBJICIET

M. JOANNES VORSTIUS,
SCHOLÆ FLENSBURGENSIS NUNC RECTOR, ET
DISSERTATIONIS AUCTOR.

ROSTOCHII, Typis Her. NICOLAI KILII, Acad. Typogr. A. M. DC. LV.

1695

DAVID GALT
CO. VENTURE
D. 2. KAT...
MOR...
ACAD...
UNIVERSITÄT...
D. GALT...
AD. DI...
M. JOHANN...
SCHNEIDER...

Universitäts
Bibliothek
Rostock

ex aliis apparet. Et sanè turpissimum Viro Phi-
losopho est, aut qui omnino cum ratione quip-
piam suscipiat, si is parum sibi constet, suaq; ipsius
dogmata evertat: crediturque hæc vel gravissi-
ma *ἡ ἀνοήτως ἀπιστία*, ut Græci loquuntur, hoc est, in-
tellectus imbecillitas esse. Quod quidem vi-
tium ne & ipsi incurrerent, studiosè sibi caven-
dum putarunt Joannes Calvinus, ejusque secta-
tores, cum suum de hominibus tum converten-
tis ac salvandis, tum negligendis ac damnandis
dogma proposuerunt. Cum enim Deum non
omnes homines, sed minimam modò eorum
partem salvam cupere contenderent: fecerunt
iidem illi, ut & cetera sua dogmata uni isti prima-
rio consentanea forent. Et dixerunt igitur,
quoniam Deus paucos modò salvos cupiat, eun-
dem quoque pro paucis modò mortuum esse ac
satisfecisse: paucis item cupere Evangelium
prædicari: quibus verò prædicatur, ne hos qui-
dem omnes salvos cupere, neque illorum omni-
um corda sic tangere ut converti & credere pos-
sint; sed quosdam illorum sic negligere, ut cum
verbum audiant, non tamen vires accipiant qui-
bus verbo credere possint: imò tantum abesse
ut his gratiam Deus offerat qua converti possint,
ut ad scelera quoque & flagitia eos excitet atque
impellat. Sic enim istius sectæ homines disertè
scri-

scribere non verentur. Porro primario illi, sed
eidem absurdissimo dogmati non malè quidem
consentanea sunt & illa quæ huic nostræ disserta-
tioni adverſantur; quòd scil. dicunt ac docent,
quoscunq; Deus salvos cupit, horum omnium
animos eum sic percellere ac commovere, ut re-
sistere haud possint, atque ut necessariò conver-
tantur: cumq; conversi jam sunt, ut tunc quoq;
neceſſe sit, eosdem in fide semper perseverare,
nec unquam eâ excidere. Etsi verò isti Viri mul-
ta primario suo dogmati satis consentanea do-
cent, neque ejus vitii, cujus Epicurum insimulat
Tullius, insimulari adeò possunt; incurrunt ta-
men iidem illi per istam suorum dogmatum, ut
cum Rennechero, ejusdem sectæ homine sic di-
cam, catenam; incurrunt, inquam, aliud quip-
piam vitii, quod non minùs reprehendendū est
quàm est alterum illud. Notum est quod Philo-
sophus scripsit, ἐνδὲ ἀτὰρ δὸθὲν ἡ τὰλλα συμβαίνει, Dato
uno inconveniente sequuntur alia. Quod quidē
planissimè illud est quod istius quoq; sectæ Viris
evenire contenderim. Nimirum cetera ipsorum
absurda pleraq; omnia hinc proficiſcuntur, quòd
defendere laborant unum illud primarium ab-
surdū, Deum paucos modò homines Salvos cu-
pere. Sed ut primario suo dogmati quid consen-
taneum esset, æstimare potuit pars adverſa, ita
non

inibog

non minùs nobis, quid nostro dogmati sit con-
sentaneum, est æstimandum. Cumq; dogma no-
strum illud sit, Deum homines ad unũ omnes sal-
vos cupere, non minùs quàm ipsum illud, defen-
dendum nobis & hoc fuerit, posse fieri ut quem
Deus conversum cupiat, non tamẽ convertatur:
itemq; posse fieri ut, quem Deus in fide conser-
vare cupiat, in eadem tamen non perseveret;
ut ita verum vero semper consonet. Et defende-
runt sanè ante menatum & quicquam doctum,
non pauci: & sic defenderunt, ut mirari subeat,
tantã veritatis luce non potuisse induci adversa-
rios, ut absurdam suam opinionem desererent.
Eadem tamen dogmata & ego, cum more majo-
rum disputatio publica habenda esset, volui di-
sputationis argumentum esse, junctis quidem
ipsis probationum ponderibus. Nimirum qui de
rebus Theologicis hodie commentamur, nihil
aliud quàm hoc agimus, ut veritatem semper
repetamus, & contra novos siqui fiant insultus
defendamus. Quæ autem super istis dogmatibus
cogitata mihi ac conscripta sunt, quamvis & mo-
le & tractationis modo sint exigua, ad TE, SERE-
NISSIME AC POTENTISSIME REX, DOMINE CLE-
MENTISSIME, humillimè nunc defero. Tibi nimi-
fum, DOMINE, si ulli mortalium, non in his tan-
tùm, sed & in aliis rebus, studia mea, si modò
possim

possim, probare & debeo & cupio; qui tum plures alios literis deditos benignè jam pridem fovet, tum quoque me, inter illos minimum, respicere ac fovere nuper cœpisti; primùm quidem curatione illa generali qua universos in tuis terris degentes fovet: tum & singulari quadã; cum cognito meo colendarum literarum qualicunque studio, regali in me munificentiam uterere. Et sanè ego, quoties istam in me munificentiam cogito, toties AUGUSTOS, TITOS VESPASIANOS, MARCOS ANTONINOS ex veteri ævo imaginor, atq; hos tales nostro quoque non deesse, vehementer gaudeo ac lætor. Servet TE DEUS, Ô PATER PATRIÆ, ac tum veri cultus divini ac Reipublicæ, tum & literarum atq; eruditionis curam gerentem rebus humanis longum interesse patiatur. Scribo in illustri Acad. Rostochiensi, Anno clc lvc lv, mense Novembri,

Gratia



ΣΥΝ ΘΕΩ.

REdeunti ad palæstram Academi-
cam, & Theologicam quidem, ex variis do-
ctrinis, quas contra adversarios, utpote ve-
ras, defendi oportet, libet demonstrandum
ac defendendum nunc sumere illud quod Lu-
therana Ecclesia rectè docet, divinam gratiam,
qua homo converti potest, qua; converti
cum Deus seriò vult ac cupit, posse negligi; sive, quod idem est,
posse fieri ut quem Deus convertum cupiat, cui; ut converti possit,
etiam vires largiatur, non tamen convertatur: Item; divinam gra-
tiam qua homo jam conversus atq; in fide est, posse itidem negle-
ctui haberi; sive, quod idem est, posse fieri ut quem Deus in fide
permanere cupiat, atq; ut permanere possit, etiam faciat, non ta-
men in eâ permaneat. Quas doctrinas nisi probè teneamus, adver-
sa pars haud difficulter & illud obtinuerit, maximæ hominum parti
nullam salutarem gratiam dari, vel, si data sit, non tamen constan-
ter dari; eosdem; homines Deum nec salvos cupere. Sunt enim
ista perquam vicina, ut concessio uno, concedi & alterum; negatio
uno, & alterum negari oporteat. Manifestum sanè est, maximam
hominum partem vel nunquam converti, vel, si conversa sit, non
tamen in fide perseverare. Si igitur perpetuum ac necessarium hoc sit,
omnes illos quos Deus converti & in fide perseverare cupiat, reapse
converti ac in fide perseverare; & nisi homines divinam gratiam possint
neglectui habere: necesse erit maximæ hominum parti vel nullam
planè gratiam offerri, vel, si oblata sit, non tamen constanter id fieri.

II. Sed de vocabulis nonnihil monendum est, quibus in
hac doctrina utimur. Quid verbo converti significari sole-
at, in

A

at, in

at, in Scholis Theologicis satis est notum; nim. rō incipere de admis-
sis peccatis dolere atq; in Christum credere: itemq; deinceps piē ac ju-
stē vivendi propositum habere. Ut autem istoc verbo in rebus Theo-
logicis utamur, occasionem dedere ipsa sacra litera, quippe qua
istos quos dixi, sanctos animorum motus vocabulis, Hebræo qui-
dem **שוב**, Græco autem **ἐπιστρέφειν**, subinde exprimunt. Quan-
quam Hebræum Scripturæ verbum Latino reverti commodē quoq;
verti atq; reddi possit. Solet vero subinde & terminus addi ad quem
conversio sive reversio fieri debeat. Ut Act. IX. 53. **οἱ τινες ἐπιστρέ-
ψαν ἐπὶ τὸν κύριον** qui (habitantes Lyddam & Saronam) *conversi
sunt ad Dominum*. Item I. Reg. c. VIII. v. 33. *Cum percussus
fuerit populus tuus coram inimicis suis, ed quod peccaverit in te, **שוב
אלך** & reversi fuerint ad te* (Vulgatus sensu nihil diverſo, *a-
gentes pœnitentiam*) & celebraverint nomen tuum, &c. Alias ter-
minus iste diferte non additur, & subaudiendus modō est. Ut
Act. III. 16. **μενοῦσατε καὶ ἐπιστρέψατε**, pœnitentiam agite, & con-
vertimini. Porro gratia Dei, qua converti homines possunt, est fa-
cultas quædam, divinitus suppeditata, qua sancti animi motus, agni-
tio peccati puta, dolor de eodem, fides in Christum, & sanctum,
propositum in hominibus oriri atq; existere possunt, si modō ipsi
homines non supprimant, sed oriri eos patiantur. Hanc gratiam di-
cimus posse negligi, hoc est, posse fieri, ut, cum homines eam ha-
beant, non tamen utantur illa; cumq; de peccatis dolere atq; in
Christum credere queant, tamen neq; doceant neq; credant. Dixi-
mus ampliùs, gratiam qua homo jam conversus atq; in fide est,
posse itidem neglectui haberi. Quibus verbis illud volumus, posse
fieri ut, cum homo ex viribus divinitus suppeditatis de peccatis jam
doluit, in Christum credidit, ac piē etiam vixit, idem iisdem viribus
uti non pergat, hoc est, non ampliùs piē vivat. Fides quoq; quid
nobis hic significet, facile cogitare licet; nimirum rō credere in Chri-
stum, credere hunc pro peccatis nostris satisfecisse, & ipsa pecca-
ta propter hunc remitti & condonari posse. Sed & rō in fide esse,
nihil aliud est quàm in Christum credere. Estq; talis **πίστις**, quales sunt
ista Latinorum, in spe, in metu, in timore, in desiderio esse: itemq;

ha

hæ Græcorum, ἐν φόβῳ, ἐν ὀργῇ, ἐν φροντίδι εἶναι. Hæ Græcæ
 quidem nihil aliud significant quam timere, irasci, curam gerere.
 Itæ vero Latinæ ἰσοδυναμοὶ sunt his itidem Latinis, sperare, metu-
 ere, timere, desiderare. Sic igitur & ἐν πίστει εἶναι in fide esse idem
 significat quod πιστεύειν credere. Vtitur eâ ῥήσας S. Paulus II. Cor.
 XIII. v. 15. Deniq; τὸ in fide perseverare nihil aliud est quam ipsa
 fidei constantia, τὸ in fide semper pergere usq; ad extremum vitæ
 halitum. Vt autem hæc fidei constantia possit esse, facile intelligitur,
 oportere ipsam quoq; pietatem bonorum operum hinc non sejun-
 ctam esse. Nam si quis hanc non habuerit, nec in fide is potest esse, h. e.
 non potest credere, se propitium Deum habere. Si verò opinetur
 quispiam, insigniter is fallitur, quod eum sibi propitium putat,
 quem peccatis suis offendere ipse non desinit. Hoc nimirum illud
 est quod S. Jacobus c. II. scribit, τὴν πίστιν χωρὶς τῶν ἔργων νεκρὰν
 εἶναι fidem sine operibus mortuam esse: τὴν πίστιν ἐκ τῶν ἔργων τελειῶσαι
 fidem ex operibus consummari sive perfici: ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι καὶ ἐκ
 ἐκ πίστεως μόνον ex operibus justificari, & non ex fide tantum. Cum
 igitur dicimus, posse fieri ut qui in fide jam est, in eadem non per-
 severet: unâ & illud dictum volumus, posse fieri ut qui pietatem
 bonorum operum habeat, hanc ipsam desinat rursus, pessimè vivat,
 atq; etiam æternum pereat. Veruntamen neq; illud nos negabimus,
 posse fieri ut qui fidem ac pietatem prorsus desierit, ad frugem ta-
 men se recipiat per veram pœnitentiam. Talis nimirum deficit modò
 ad tempus; cum alii ita deficiant, ut nunquam resipiscant: quod vel
 repentinâ morte præveniantur, nec tempus resipiscendi habeant;
 vel, si tempus habeant, tamen ἀνανήψειν ἐκ τῆς ἑξαβόλης παγίδος
 & resipiscere ipsi nolint.

III. Eandem veritatem quam nunc nos proposuimus, alii exprī-
 mere solent & aliis verbis. Et hanc proximam quidem sic exprī-
 munt, ut dicant, posse gratiam Spiritus S. amitti, posse hominem
 fide excidere, posse Spiritum S. excuti. Et dicunt ampliùs, id fieri
 posse vel totaliter tantum, vel totaliter & finaliter simul. Altera
 autem veritas quæ huic perquam vicina est, quamq; defendendam
 simul nunc suscipimus, solet & sic exprīmi, ut dicatur, hominem
 non converti irresistibiliter, sed converti eum resistibiliter: fidem

non esse irresistibilem, sed esse eam resistibilem. Sed hoc *xyvo* *Qwida*
vocat Professores Leidenses in Censurâ suâ, quam Remonstranti-
bus opposuerunt; putantq; eas voces ad conflandam invidiam ex-
cogitatas esse à Jesuitis ac Remonstrantibus. Vide pag. 164. Cen-
surâ. Id autem non tam de ipso verbo resistere intelligendum vi-
detur, quàm de nomine inde derivato. Sanè ipsi quoq; Contrare-
monstrantes verbum resistere minimè abhorrere solent. Nomen
autem hinc formatum neq; nos negabimus parum elegans esse. Ad
conflandam tamen invidiam id excogitatum esse, non usq; adeò li-
quet. Antiqui Ecclesiæ Doctores nostram veritatem etiam aliis mo-
dis exprimebant. S. Cyprianus lib. III. ad Quirinum: *Credendâ
vel non credendi potestas in arbitrio posita est.* S. Hieronymus lib. II.
adv. Jovin. c. 2: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes nec
ad vitia necessitate trahimur.* Plura id genus producemus infra.
Non autem putandum est, sanctos istos Virostam absurdos fuisse,
ut citra divinam gratiam hominem credere & pie vivere posse puta-
runt. Gratiam quidem defendunt alibi: nunc verò tantum illud
dicere volunt, Deum non sic operari in hominibus, ut hi non pos-
sint resistere, atq; ut necessario bene agant; sed post oblatam grati-
am hominibus adhuc liberum relinqui, utrum oblatâ gratiâ uti ve-
lint, necne.

III. Ceterum huic quam nunc defendendam suscipimus veri-
tati, & olim contradictum est, & hodie quoq; adhuc contradicitur.
In veteri Ecclesiâ fuerunt Manichæi, pestilens hominum genus, qui
libertatem arbitrii prorsus negarunt; contrâ verò asseruerunt, homi-
nem, quæcunq; agit, sive bona, sive mala, ea non liberè sed neces-
sario agere. Testis S. Hieronymus præmio in Dialogo adv. Pe-
lagianos: *Manicheorum est, hominum damnare naturam, & liberum
arbitrium auferre.* Nimirum duas naturas, unam boni, alteram mali
*ex diversis atq; inter se adversis coæternisq; principiis vanitate sacrilegè
mesandi erroris inducerunt,* ut S. Augustinus lib. I. c. Julianum c. 3.
scribit. Pelagius autem, dum istam Manichæorum hæresin vitare
voluit, in aliam non minus noxiam incidit; ut, dum liberum arbitri-
um contra Manichæos defendere vellet, gratiam prorsus negaret.
Debat ille Manichæis sic contradicere, ut liberum arbitrium, hoc
est, indifferentiam modò circa actiones, tum bonas, tum malas, pro-
pugnaret

pugnaret: divinā autem ope ad fidem & bona opera opus esse minimē
 negaret. Sed imperitus ille liberum arbitrium sic propugnavit, ut
 hominem solius naturā viribus opera Deo grata præstare posse diceret.
 Tum igitur & à Manichæismo & à Pelagianismo cavendum erat. Et
 inveniuntur quoque duæ istæ hæreses in scriptis Patrum subinde juxta
 se posita; ut ab utraque eo rectius caveretur. S. Hieronymus, cum
 scripisset priora illa, *Manichæorum est, hominum damnare naturam &
 liberum arbitrium auferre*, mox addit, *Rursusq; apertissime insanie, (Pe-
 lagianorum) adjutorium Dei tollere, & hoc hominem dicere quod Deus est.*
Et sic ingrediendum viā regiā, ut nec ad sinistram, nec ad dextram declinemus,
appetiturq; propriæ voluntatis DEI credamus auxilio gubernari. Ecce
 monet ille, ut viā regiā ingrediamur, ut nec ad sinistram nec ad dextram
 declinemus, hoc est, ut nec Manichæismo, nec Pelagianismo favcamus.
 Sed monendum, esse in istis S. Hieronymi verbis manifestam quorun-
 dam verborum trajectionem, prout quidem in vulgaribus codicibus ea
 leguntur. Illud *adjutorium Dei tollere* tributum fuerat Manichæis, &
 lectum ita, *Manichæorum est, hominum damnare naturam, & liberum arbi-
 trium auferre, & adjutorium DEI tollere.* Sed hoc postremum ad
 Pelagianos potius pertinet, quibus & aliàs S. Hieronymus id subinde
 tribuit. Nos igitur sic in suum locum restituendum putamus, uti feci-
 mus. Ceterum ut Hieronymus Manichæorum & Pelagianorum hæ-
 resin in propinquo posuit, ita & S. Augustinus fecit. Nimirum lib. IV.
 c. ep. Pelag. c. 6. sic scribit: *Quod adversus Manichæos laudant liberum ar-
 bitrium adhibentes propheticum testimonium, si volueritis &c. quid eis pro-
 dest? Quandoquidem non tam contra Manichæos defendunt, quam contra
 Catholicos extollunt liberum arbitrium.* Sic enim volunt intelligi (Pela-
 giani) quod dictum est, *Si volueritis & audieritis me, tanquam in ipsa præce-
 dente voluntate sit consequens meritum gratiæ, ac sic gratiæ jam non sit gra-
 tia, quæ non est gratuita, cum redditur debitæ.* Si autem sic intelligerent,
 quod dictum est, *Si volueritis, ut etiam ipsam voluntatem illam præparare
 confiterentur de quo scriptum est, Præparatur voluntas à Domino tanquam.*
*Catholici uterentur hoc testimonio, & non solum hæresin veterem Mani-
 chæorum vincerent, sed & novam Pelagianorum contererent.* Vult
 ille, verba Prophetæ, *Si volueritis*, sic intelligi, ut nec Manichæis,
 nec Pelagianis faveatur. Non autem favetur Manichæis, si il-
 lud velle existimemus non fatali necessitate fieri, sed cum libero arbitrio
 & indifferentiā. Pelagianis autem non favetur, si statuerimus, illud
 velle

velle non ex naturæ viribus proficisci, sed divinâ ope & auxilio fieri. De illo dicto, qvo Augustinus & hic & alibi frequentissimè contra Pelagianitatur, Voluntas præparatur à Domino; de illo, inquam dicto obiter monemus, non esse illud ex authentico textu expressum, neque ad sanam istam doctrinam, cui adhibitum est, demonstrandam satis esse validum. Hebræus textus est Prov. VIII. c. 35. v. atque ita habet: **מִצָּאֵי מִצָּאֵי חַיִּים וְיָפֶק רֵצוֹן מִיְהוָה**. Hæc in Græcâ versione, qvam τῶν LXX. vocant, ita sunt expressa: αὶ ἐξοδοὶ με ἐξοδοὶ ζωῆς, καὶ ἐπιμοιάζονται θελήσει ᾧ θεὸς κερεῖα. Atque ex hac Græcâ versione expressum deinde est illud, *Præparatur voluntas à Domino*, quo Latini Patres, Augustinus, Prosper, Fulgentius, sapissime, & ipsum quoque Concilium Arauficanum secundum, contra Pelagianos usum est. Sed vetus Latina versio qua nunc utimur, à Græcâ versione prorsus discrepat; cum authentico autem textu congruit melius. Habet quidem ita: *Qui me invenerit (sapientiam) inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*. Parallelus locus est in cap. III. Proverb. v. 13. **בְּשֵׁרֵי אָדָם מִצָּא חֲכָמָה וְאָדָם יָפֶק תְּבוּנָה**. *beatus homo, qui invenit sapientiam, & affluit prudentiâ*, ut vetus Latina versio habet. Utrobique vetus ille verbum יָפֶק vertit tali Latino quod ad aquas pertinet: semel quidem *hauriet*, deinde *affluit*. In quam sententiam & veteres Græci Interpretes Symmachus & Theodotion, verterant, ὁ εὐρών με εὐρήσει ζωῆν, καὶ ἀρύεται εὐδοκίαν ᾧ θεὸς κερεῖα. Apparet autem, τὸ יָפֶק utrobique habere vim consequendi sive adipiscendi, & alteri verbo מצא ἰσοδύναμον esse. Sed hæc ὡς ἐν παραρτῶ.

V. Porro cum Pelagius suum jam errorem cœpisset errare, & liberum arbitrium non sano sensu propugnaret, ita quidem ut gratiam prorsus negaret: exorti sunt rursus alii qui gratiam contra Pelagium, sic defenderent, ut liberum arbitrium negarent. S. Augustinus initio libri de gr. & libr. arbitrio: *Quoniam sunt quidam qui sic gratiam DEI defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem curavi*. Auctor de vocat. Gentium, qvi D. Prosper creditur, initio operis: *Inter voluntatem humanam & gratiam Dei quorundam non sana discretio est, existimantium quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbi-*

arbitrium. Et quomodo istis ætatibus, ita ferè proximo quoque superiore seculo res se habuit. Cum Scholasticorum disputationibus eò deducta res esset, ut à Pelagianorum, ac Semipelagianorum erroribus non satis caveretur, nec, quàm necessaria ad conversionem sit divina gratia, prout par erat, exponeretur: exortu sunt sub initium reformationis, qui contra Scholasticos ac Pontificios gratiam sic defenderent, ut per hanc dicerent hominem necessariò converti, nec posità eà posse hominem non converti. Inter quos Joan. Calvinus, qui toti sectæ nomen dedit, lib. II. Instit. c. 3. n. 10. sic scribit: *Voluntatem (DEVS) movet, non qualiter multis seculis traditum & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est, Quem trahit, volentem trahit: quo insinuat, Dominum porrectâ tantum manu expectare, an suo auxilio juvari allubescat.* Et parcis interjectis sic pergit: *Citra controversiam elicitur ex Johannis verbis, sic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili affectu sequantur. Qui ex Deo genitus est, inquit, non potest peccare, quia semen DEI in ipso manet. Nam medium quem Sophistæ imaginantur, motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverendam constantia.* Hem profiteretur ille, observasse se in rebus sacris, quod multis seculis observatum non sit, voluntatem hominis ita moveri à DEO, ut postea non sit nostræ electionis, motui aut obtemperare aut refragari: corda hominum sic efficaciter gubernari, ut inflexibili affectu sequantur: motum cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, à sacro Scriptore exclusum esse. Nos vero cum B. Chemnitio fatemur, nos ab illis dissentire, qui fingunt opiniones, quæ nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesiâ. Sentimus quoque cum eodem Chemnitio, nullum dogma in Ecclesia novum & cum totâ antiquitate pugnans recipiendum esse. Sed non nisi orthodoxam antiquitatem hîc intellectam volumus, quam & ipse Calvinus talem agnoscere necesse habet; non illâ Manichæorum, aut eorum quos, cum gratiam defenderent contra Pelagium, in alium errorem utpote à *Æneïdas* prolapsos, suprâ ex Augustino memoravimus.

VI. Videamus & illorum verba, qui Calvinum sunt secuti. Congesserunt plurima hujus generis Remonstrantes in Actis Synodi Dor-
drase-

dracena. Hier. Zanchius de viribus lib. arb. in hom. cap. II. quaest. 2.
th. 2: *Humana voluntas, cum incipit regenerari, gratiam sibi efficaciter ob-*
latam, inq; se immissam, licet suapte natura possit rejicere, propter tamen ef-
ficacitatem Spiritus & firmam Dei voluntatem non potest, Deoq; regenerare vo-
lenti non ita valet reluctari, ut no regeneretur. Deinde ita perspicuum est factu,
Deo in voluntatem nostram efficaciter operante nos non posse re ipsa gratiam
Dei nobis communicatam rejicere. Contraremonstrantes in Collat. Hag.
pag. 207. Quemadmodum nemo suam nativitatem potest impedire, neq; impe-
dire poterit suam resurrectionem ex mortuis: ita non potest quisquam omnino
impedire operationem gratiae Dei in Christo, quando ille vult regnare &
excitare e morte spirituali. Antonius Thysius ad summam Baronis p. 66:
Parere vocationi, quod est initium salutis, Deus aliis largitur, alii ne-
gat. Non possunt non sequi vocantem quibus Deus persuadet; nec se-
qui, quibus non persuadet. Fr. Gomarus in Declarat. p. 20: An gra-
tia haec detur vi irresistibili, id est, efficaci operatione Dei, ita ut volun-
tas ejus qui regeneratur, facultatem non habeat illi resistendi, sicut de
potentia Dei dicitur 2. Per. v. 6. In manu tua est fortitudo & poten-
tia, nec est qui tibi possit resistere? Credo & profiteor ita esse. Haec &
plura alia citant Remonstrantes eo quem dixi loco. Neq; dissen-
tiant, qui nuper scripserunt. M. Frid. Wendelinus Christ. Theol.
lib. I. c. 26: Queritur inter nos, Pontificios & Arminianos, de effica-
cia gratiae convertentis: An Deus gratia sua in homine conversionem ita
efficiat, ut gratia illa convertente, una cum intentione DEI de conver-
tendo homine posita, homo necessario convertatur, vel conversionis effectus
semper & infallibiliter ponatur? Resp. Nos affirmativam tuemur seqq.
argumentis &c. Asserit ille, si ponatur gratia Dei convertens una
cum intentione Dei de convertendo homine, hoc est, si Deus ali-
quem convertere velit, atq; ut converti possit, vires ei suppeditet,
hominem necessario, semper & infallibiliter converti.

VII. Sed quid de Professoribus Leidensibus, Polyandro, Walæo,
Riveto, & Thyfio dicemus, qui anno hujus seculi XXVI. Confes-
sioni Remonstrantium Censuram opposuerunt? An & illos ita
sensisse putabimus? Scribunt illi, *libenter se concedere, hominem*
gratiam divinam aspernari & respuere, ejusq; operationi resistere posse.
Vide pag. 240. dictae illorum Censurae. Ista igitur Leidensium Pro-
fessorum verba si per se considerentur, suspicari cuiquam subeat, illos
quod

quod ad istam doctrinam, ab aliis discessisse. Sed non est ita. Fuerunt illi in eadem absurdâ opinione, in qua prædicti illi. Sed videamus & illa quæ verbis modo citatis subjecerunt. Nam sive respiciamus, inquit, gratiam externam Evangelii, quod ministerium Spiritus appellatur 2. Cor. 3. sive etiam operationes internas Spiritus S. quibus mentem hominis de Evangelii veritate & suo officio convincit, fatemur hominem huic gratiæ operationi posse resistere ac proinde se ipsum cum divinitus ad fidem & obedientiam vocatur, inidoneum posse reddere ad credendum & divinæ voluntati obediendum Ταύτην ἔδωκεν καλῶς, ut Philosophus alicubi scribit. Sed pergant iidem illi: Sed inde non sequitur, non esse aliquam gratiam peculiarem sive per DEI sapientiam sive per ejus potentiam administratam, cui homo qui per eam vocatur, nunquam resistit, & quæ à nullo duro corde respuitur, ut Augustini verbis utamur. Falsi fuerant isti, posse hominem resistere gratiæ tum externæ, tum internæ. Deinde verò subjiciunt, esse tamen aliquam gratiam peculiarem cui homo nunquam resistat. Nisi verò ὑπερόντι hic lateret, haberent & ista se non malè, & prædicti Professores Leidenses falsam aliorum opinionem rejecisse nihilominus possent videri. Datur sanè aliquis divinæ gratiæ modus, cui homo nunquam resistat, & qui à nullo duro corde respuitur. Qualis quidem obrigit S. Paulo, cum is Ecclesiæ persecutor esset. Sed ista gratia quæ S. Paulo obrigit, est singularis quædam, extraordinaria & superabundans gratia: cui ut ipse Paulus non resistit, ita nec alii impii resistituri forent. Si igitur talem gratiam intelligant Professores Leidenses, rectè quidem sentiunt, sed adversariis Arminianis quos refellendos sibi sumpserant, non satisfaciunt. Non negaverant illi, dari talem extraordinariam & superabundantem gratiam, cui homo nunquam resistat; sed scripserant modò, hominem divinam gratiam aspernari & respuere, ejusq; operationi resistere posse. Et rectè sanè in Examine Censuræ Leidensium p. 181. est regestum, *quæstionem quam Censor fecerit, Annon detur aliqua peculiaris gratia, sive per Dei sapientiam, sive per potentiam ejus administrata cui homo qui per eam vocatur, nunquam resistat, alienam & impertinentem esse, quia intelligi possit de gratiâ, seu extraordinariâ seu speciali quadam, respectu paucorum quorundam hominum, quod sine periculo admitti possit, & ab Antiquitate totâ extra du-*

visum positum fuerit, salvâ semper manente sententiâ generali de conditionatâ electione eorum, qui ordinariis vocantur.

VIII. Si verò Leidenfes peculiarem istam gratiam cui homo nunquam resistat, intellectam velint de communi & ordinario gratiæ gradu, quo convertuntur pleriq; eorum qui convertuntur: falsum est, huic tali gratiæ gradui nunquam resisti, & nunquam eum ab homine respui. Sed subodorari jam licet, quid isti homines sibi velint: illam gratiam sive externam sive internam cui concedunt resisti posse, non credunt sufficientem esse, eoq; sine à Deo oblatam, ut homo per eam convertatur; sed solam illam cui non resistitur, qua; homines reapse convertuntur ac æternum salvantur, sufficientem esse statuunt. Sic & Wendelinus scribere non dubitavit, *qui vocanti & mandanti Christo non paruerunt, quales omnibus seculis plurimi fuerint, eorum conversionem Deum non intendisse, nec gratiam conversionis in specie sic dictam (sufficientem illam) eis applicasse.* Ut verò Leidenfium hanc opinionem esse, atq; ita ipsorum verba intelligenda credamus, faciunt alia eorundem scripta. Fuit inter illos qui concesserunt divini gratiæ tum externæ, tum internæ resisti posse, Antonius quoq; Thyfius. Idem verò ille, ut jam supra relatam est, scripsit etiam, *non posse non sequi vocantem quibus Deus persuadet.* Et in Corpore doctr. p. 255: *Si Spiritus DEI absit, prorsus boni nihil facere potes: sic contra, ubi Spiritus DEI adest, nemo bonum potest omittere, aut ad Christum non venire.* Rursus in scriptis Anglicanis p. 212: *Efficaci DEI Electionis vocationi resisti non posse, hæc sacra scripturæ loca testantur.* Dicit ille, non posse non sequi vocantem, cui Deus persuadet. Quod si de necessitate hypotheticâ intelligatur, concedi potest. Si Deus persuadet, non potest non persuadere; quemadmodum, si homo stat, non potest non stare, & necesse est eum stare. Sed de tali necessitate id noluerit intelligi Auctor. Si igitur de aliâ necessitate vult intellectum, falsum est illud, non posse non sequi vocantem, cui Deus persuadet. Sed comparemus ista Thyfii proxima, cum his quæ ex Censurâ retulimus supra. In Censurâ sive ipse sive socius scripserat, & concesserat, *hominem tum externæ tum internæ gratiæ resistere posse: in his verò proximis, quæ ex aliis ejus libris sunt producta, non posse non sequi vocantem cui Deus persuadeat: ubi Spiritus S. adsit, neminem*
bonum

bonum posse omittere, aut ad Christum non venire: efficaci DEI electionis vocationi resisti non posse. Hæc igitur adversa fronte pugnabunt cum illis quæ in Censurâ leguntur, si *ἠκούσας* & eodem modo intellecta velit Thysius. Sed non est vero simile, esse hæc eodem modo intelligenda, & Auctorem voluisse sibi ipsi contradicere. Et quidem, quod sive ipse sive socius scripsit, posse divinæ gratiæ resisti, id intelligendum fuerit de gratiâ insufficienti, nec serio oblata, qualem quidem isti homines statuunt. Hoc igitur prorsus nihili est, nec opinioni Calvini, Zanchii atq; aliorum est adversum; à nostrâ vero sententiâ quam in fronte harum chartarum expressimus, immane quantum discrepat. Neq; enim nos de insufficienti quadam nec serio oblata gratiâ diximus; sed demonstrandum ac defendendum suscepimus illud, divinam gratiam qua homo converti possit, quaq; eum converti Deus Opt. Max. serio velit atq; cupiat, posse negligi; vel, quod idem est, posse fieri, ut quem Deus converti cupiat, cuiq; ad id sufficientes vires suppeditet, non tamen convertatur: itemq; divinam gratiam quâ homo jam conversus ac renatus, in eodem illo statu pertereare potest, posse neglectui haberi; vel, quod idem est, posse fieri ut, quem Deus in fide conservare cupiat, non tamen in ea perseveret, sed ab eâ desciscat, ac æternum pereat.

IX. Antè tamen quàm rem ipsam aggrediamur, libet & hoc commemorare, qualem viam Petrus Molinaus hîc inierit. Scribit ille in calce cap. XLIII. Anatomæ Arminianismi, Arminianos quæstionem sic concepisse, *An homo, cum Deus serio vult ut credat & convertatur, possit nolle credere & converti.* Deinde addit, quæstionem istam conceptam esse fraudulenter, neq; hoc esse τὸ κενώμενον. Sic enim agere Arminianos, quasi Deus aliquando aliquid vellet non serio. tum totam quæstionem esse immutatam. neq; enim id controversi quod ipsi posuerunt; sed an possit fieri ut electus nunquam convertatur, & gratiæ DEI ad finem usq; vitæ resistat, aut à gratiâ DEI penitus ac finaliter excidat. Eodem capite, quibusdam interjectis, idem Molinaus statum quæstionis sic format: *An possit fieri ut electus nunquam convertatur, & Deo vocanti ad finem usq; resistat: aut gratiæ Dei sic resistat, ut ea finaliter, excidat.* Cumq; ita formasset statum, rejicit deinde multa quæ Arminiani ad suam sententiam defendendam attu-

lerant; tantum propterea quod illa de reprobis agant, non de electis, utpote de quibus solis sit quaestio. Nos vero dicimus, quaestionem sic formatam, prorsus ineptam esse. Quid attinebat quaerere, an fieri possit, ut electus Deo semper resistat, & nunquam convertatur? Perinde hoc est, ac si quaeretur, an fieri possit ut Deus quempiam ad vitam aeternam eligat, qui ipsi ad finem usque vitae suae resistat nec unquam convertatur. Perinde quoque foret, ac si quis quaereret, an fieri possit, ut animal non sentiat. Qui electus est, hunc necesse est aliquando converti & fidelem esse. Nisi enim, hoc foret, omnino nec electus esset. Sunt haec aequae late patentia, electum esse, & vere aliquando, minimum sub finem vitae, converti & fidelem fieri. Quod deinde in Arminianorum verbis carpit illud *serio velle*, id frivolum est. Neque enim necesse est, vocabulum *serio* hic *διακριτικόν* esse; sed potest esse *ἐξηγητικόν*. Quamobrem nec ipsi ab istoc vocabulo hactenus abstinuimus, neque posthinc ab eodem abstinēbimus. Sed alii Contraremonstrantes non sunt tam inepti, ut quaestionem ita formant ut Molinæus fecit ab Arminianis vero recte formatam esse negent. Egit & Guil. Amesius contra illos. Quid vero is sibi velit, id intelligi potest ex his ejus verbis: *Axioma Remonstrantium thesi è diametro contradicens est, Gratiae operationem tam potentis esse efficaciam in conversione hominis, ut ejus actio ab homine non possit superari aut prorsus impediri.* Quae cum posuisset, addit deinde, ipsos Remonstrantes id agnoscere in resp. ad arg. 5. Non format ille quaestionem de electis, sed de homine in universum, quomodo is se habeat circa operationem gratiae; an eam superare possit, sive prorsus impedire. Nec aliter faciunt & alii. Molinæum igitur nos mittamus, & pedem potius conferamus, cum alteris illis, quorum facta est mentio, antequam de Molinæo inciperemus dicere.

X. Principio assertioni nostrae solide probandae idoneum existimamus illud quod Act. VII. xi. legitur: *σκληροί καρδίαι καὶ ἀπειθήντες τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσίν, ὑμεῖς ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε, ὡς οἱ πατέρες ὑμῶν καὶ ὑμεῖς. Duri cervicis & incursum cordis & auribus, vos semper Spiritui S. resistitis: sicut patres vestri, ita & vos.* His verbis S. Stephanus increpat Judaeos, dicitque primo, eos esse *σκληροί καρδίαι* duros cervicis sive durae cervicis.

Reperitur

Reperitur eadem ῥῆσις & in versione V. Testamenti: ut Exod. XXXIII. 3. XXXIV. 9. Deut. IX. 6. 13. Hebræa autem ῥῆσις cui ista Græca vox respondet, est **הָרַע נַפְשׁ**: *durus cervicis* sive *collo*: quæ & in Hebræo textu istorum locorum visitur. Sed & cognata phrasis **הָרַע נַפְשׁ סְκֻלְהָרְוֵינַי** *τὸν τράχηλον*, reperitur II. Par. XXX. & alibi. Istis autem tum vocibus tum phrasibus designari homines rebelles ac refractarios, nihil est dubium. Idem verò & **σκληροχέυχες** dicuntur. Cum qua appellatione & illud congruit, quod profani Scriptores, Horatius & Claudianus, talem hominem sic designant, *cui indomita est cervix, cui cervix est rebellis*. Porro, qui **σκληροχέυχες**, hoc est, *refractarius & rebellis* est, hunc nolle obtemperare ei cui debeat ac possit, liquida scilicet res est. Quare ex eo quod Judæos istoc nomine appellat Stephanus, intelligi utique licet, Judæos istos Spiritui Sancto, ipsique adeo Deo noluisse obtemperare, cum id facere possent ac deberent. Deinde & **ἀπελιμήτες τῇ καρδίᾳ καὶ πῖσι ὡς** vocat eosdem homines, hoc est, *incircumcisos corde & auribus*. Qua appellatione & in Vet. Test. isti tales sæpe dicuntur: ut Jer. IX. 26. & alibi. Denique eosdem malos Judæorum mores & sic exprimit: **ὁμῆς αἰεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντίπτετε** *vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Ex his igitur omnibus sic colligere utique licebit: Qui duræ cervicis sunt, incircumciso corde atque auribus, quique Spiritui S. resistunt, hi divinam gratiam, qua converti possunt, quaque eos converti Deus etiam cupit, negligunt ac repellunt. De Judæis id affirmat Stephanus, fuisse eos duræ cervicis, incircumciso corde & auribus, resistisse eos Spiritui S. Hos igitur divinam gratiam, qua converti potuerunt, quaque eos converti Deus cupivit, neglexisse atque rejecisse liquet.

XI. Sed non concesserint **αἱ ἀπίστοι**, hæc ita componi, quemadmodum à nobis sunt composita; qui duræ cervicis dicatur, & incircumciso esse corde atque auribus, qui Spiritui S. dicatur resistere, hunc divinam gratiam qua converti possit, quaque ut convertatur, Deus etiam cupiat, negligere, atque adeo nec converti. Scilicet Marcus Fr. Wendelinus ex verbis S. Stephani, *Vos semper Spiritui S. obnitimini*, negat sequi hanc enunciationem: *Aliqui ex iis quos Deus ut converteret, omnibus servii affectus & propensa voluntatis indicis vocavit, volenti & vocanti*

Deo restiterunt, & non sunt conversi. Rationem verò subijcit hunc in-
 modum: *Qui vocanti & mandanti Christo non paruerunt, eorum conver-*
sionem Deus non intendit, nec gratiam conversionis in specie sic dictam iis ap-
plicat. Videamus nos, quomodo istæ se habeant, & cur ille neget esse
 consequens, quod revera est tale. In sacris literis manifestè apparet
 hoc enunciatum: Vos (Judæi) semper Spiritui S. obnitimini. Quod
 utique eadem veritate manente paululum immutare licet hunc in mo-
 dum: Judæi Spiritui S. restiterunt. Ex hoc verò nemo sanus nega-
 bit consequi, quosdam homines Spiritui S. restitisse. Porro igitur li-
 cebit sic colligere: Qui Spiritui S. restiterunt, hi, cum Deus illos con-
 vertere voluit, & ut converteret, omnibus serii affectus & propensæ vo-
 luntatis indiciiis vocavit, volenti & vocanti Deo restiterunt, nec conver-
 si omnino fuerunt. Quidam autem homines Spiritui S. restiterunt.
 Idem igitur, cum Deus illos convertere voluit, & ut converteret, om-
 nibus serii aff. indiciiis vocavit, volenti & vocanti Deo restiterunt, &
 omnino non sunt conversi. Hanc conclusionem, quæ & nostra the-
 sis est, negat ille sequi ex istis præmissis. Quid igitur in præmissis de-
 siderabit, & utram earum falsam dicet? Posteriolem non potest. Fal-
 sam igitur dicet priorem: quæ cum eâ quam ab adversariis non conce-
 di diximus, sensu planè congruit. Habet autem prior illa, ut etiam re-
 petamus, hunc in modum: Qui Spiritui S. restiterunt, hi cum DEUS
 illos convertere voluit, &c. volenti & vocanti DEO restiterunt. No-
 stra autem quam *ισαδύναμον* diximus, hæc est: Qui duræ cervicis,
 hoc est, refractarii ac rebelles sunt, qui Spiritui S. resistunt, hi divinam
 gratiam qua converti poterant, quaque ut convertantur, ipse Deus eti-
 am cupit, possunt negligere, atque adeò nec converti. Hanc nostram
 igitur, ut & illam alteram, existimat ille malè esse compositam; hanc
 quidem ob causam, quod qui vocanti ac mandanti Christo non parue-
 runt, eorum conversionem DEUS non intenderit, nec gratiam con-
 versionis in specie sic dictam illis applicuerit. Quibus verbis nisi valde
 fallimur, hoc sibi voluit Auctor, eos qui vocanti & mandanti Christo
 non parent (quiq; adeò & Spiritui S. resistunt) non continuo negligere
 atque rejicere talem gratiam, qua converti possint, quaque ut conver-
 tantur, DEUS etiam velit. Talium enim conversionem DEUM non
 intendisse, nec conversionis gratiam in specie dictam, hoc est, sufficien-
 tem & serio oblatam illis obrulisse.

XII. Hunc igitur in modum nostram propositionem falsam pro-
clamat Wendelinus. Quam autem vera ea sit; ista autem Wende-
lini quàm sint falsa, id nunc amplius est docendum. Vulgaris sanè vo-
cabulorum intellectus hic est, ut qui refractarius est, quiq; alicui resi-
stit, is nolit facere aut fieri illud quod vult ille cui resistitur. Neq; cre-
dibile est, S. Stephanum, cum *ἰδοὺ πνεύματος ὁμοιωσίου προσέειπεν*
loqueretur, aliud sibi istis vocabulis voluisse; si quidem voluit (voluisse
autem par est credi) intelligi. Cum igitur Spiritui S. resistitur, tunc sanè
is qui resistit, non vult illud quod vult Spiritus S. Quid autem aliud Spi-
ritum S. voluisse putabimus, quàm istorum hominum, qui resistebant, con-
versionem? Wendelinus, cum dicit, conversionis gratiam in specie sic
dictam non esse iis applicatam, subaudiendum relinquit scilicet, esse ta-
men aliquam conversionis gratiam Judæis applicatam. Hanc verò
dicit esse externam illam verbi divini prædicandi gratiam. Atque huic
externæ gratiæ facile & ille concesserit resisti posse; quemadmodum &
Leidenfes Professores illud concessisse, supra retulimus. Sed hæc sunt
nihili. Sacer textus habet, Judæos resistisse Spiritui Sancto. Ergo oportet
eos noluisse ac detrectasse quidpiam, quod Spiritus S. ab illis fieri
voluerit. Quid autè illud quod hic quidem voluit, isti autem noluerunt?
An Judæi noluerunt audire concionem Stephani, & cum ille occiperet
loqui, abierunt? Spiritus S. sanè & illud volebat, ut concio S. Stephani
à Judæis audiretur. Sed nec Judæi id nolebant. Audierant illi con-
cionè, eamq; satis intellexerant; cumq; intellexissent, indignissimè eam
concionem tulerunt, ut ex cap. VII. Act. v. 54. videre est. Oportet
igitur fuisse aliud quippiam, quod Spiritus S. quidem voluerit fieri, Ju-
dæi autem facere detrectarint. Voluit Spir. S. Judæos converti, hoc
est, pœnitentiam agere & credere ea vera esse quæ S. Stephanus loque-
batur, Jesum Nazarenum esse Messiam & Salvatorem mundi: pessimè
fuisse factum, quod is proditus atque occisus esset. Hoc cum nollent
illi, resistebant Spiritui S. Sed nec resistisse & refractarii fuisse dici
possent, nisi potuissent illud facere, quod Spiritus S. volebat, hoc est,
pœnitentiam agere, & credere, Jesum Nazarenum esse Messiam, &
hujus merito oportere salvari. Rursus tamen ut id possent, ad id Spi-
ritum Sanctum quoque suppeditasse vires, nos Wendelino minime ne-
gabimus, utpote qui à Pelagianismo absumus longissimè. Atque ita
Wendelino speramus satisfactum. Nam quæ ille amplius differit in

eandem sententiam, ea pari modo refellere est in proclivi. Differit quidem sic: Spiritui S. dicuntur resistere, qui mandatis ejus recusant parere: suntque reprobi vel electi. Reprobis gratia conversionis nunquam applicatur. & præceptis semper obluantur. Electi etsi quandoque externam vocationem repudiant, tamen ab internâ conversione tandem omnes convertuntur, adeoque nulli frustra applicatur conversionis gratia. Quod ille explicat, quid sit τὸ Spiritui S. resistere, id non malè habet; nim. mandatis Spiritus S. reculare parere. Quod autem addit, reprobos præceptis semper obluantur, & tamen gratiam conversionis illis nunquâ applicari, id εὐθεὶς est atque absurdum. Qui obluantur præceptis alterius, eum intelligendum utique est nolle facere id quod vult ille cui obluantur, sive cujus præceptis non vult parere. Aliud sanè istæ verba significare non possunt. Cum igitur reprobos obluantur concedat Wendelinus, oportet eundem & hoc concedere, nolle eos facere id quod Spiritus S. eos facere velit ac jubeat. Hoc autem quid aliud credemus esse quàm ut convertantur & vivant? Sed nec illud verum est, quod Wendelinus dicit, reprobos semper obluantur. Fieri enim potest, ut qui sit reprobus & æterno destinatus exitio, propter futuram putabilem impœnitentiam, ad tempus credat & piè vivat: ut qui probus fuerit, à probitate suâ desistat, nec pristinæ ejus probitatis ulla amplius habeatur ratio, ut ex Ezechiele scitur. Porro qui à probitate suâ desiscit, eum probum fuisse oportet scilicet. Qui verò probus est, is dum est probus, Spiritui S. non resistit. Denique & illud falsum est, quod idem Wendelinus videtur velle, electos non nisi externam vocationem quandoque repudiare. Fit sanè, ut electi quoque internis Spiritus S. operationibus resistant: & tum quidem cum verbum audiunt. Neque enim putandum est, verbum DEI unquam prædicari, quin Spiritus Sanctus intus quoque operetur, & hos qui audiunt convertere cupiat.

XIII. Sed cum Constraremonstrantibus quoque qui Collationem Hagiensem habuerunt, itemque cum Guiljelmo Amefio, qui Coronidem scripsit ad Collationem istam, adhuc congregiendum nobis est. Negant & illi istam quam nos ex verbis Stephani fabricavimus atque composuimus propositionem. Scribunt quidem, s. Stephanum increpasse Judeos non quòd restitissent Spiritui regenerationis, utpote qui in illis nec fuerit nec operatus fuerit; sed Spiritui

ritui, qui cum in Prophetis fuisset, patres eorum fuisset allocutus, & jam per Stephanum idem faceret. Quid igitur illud est, resistere Spiritui regenerationis, resistere Spiritui Prophetico? Illud, credo, significat regenerationem sive conversionem detrectare, cum Spiritus S. regenerare atque convertere cupit. Hoc verò quid putabimus significare? An resistere Spiritui Prophetico significat impedire quò minus quispam futura prædicere possit? Si illud volunt, nego Judæos sive veteres sive illos qui S. Stephano *ἀντιχριστοί* erant, id impedire potuisse, quò minus prophetaretur. Prophetarunt Michas, Esaias, Jeremias: nec quo minus id facerent, impediverunt improbi. Hoc tamen improbi potuerunt, ut, siquis Propheta futura mala prædixisset, eum persequerentur, & morte aliisve malis afficerent. Ita scimus evenisse S. Michæ cum is Achabo futurum interitum prædiceret. Cum verò Prophetæ futuram calamitatem prædixerunt, tum vel maxime & ipsi, & Spiritus S. voluit, ut homines resipiscerent atq; ad frugem redirent. Sed de Stephano ne quidem id legimus, ipsum futura mala sic prædixisse, ut Prophetam ageret, cum is diceret Judæos Spiritui S. resistere. Fecerat ille multa miracula, ut Act. VI. legimus, idq; ut conjicere licet, sanando ægros. Deinde & disputaverat cum quibusdam qui ex scholâ Libertinorum, Cyrenæorum & Alexandrinorum, item qui ex Ciliciâ & Asiâ fuerunt: ita quidem ut ab his non potuerit redargui aut convinci; uti id itidem cap. VII. Act. v. 9. & 10. est legere. Quæ disputatio cujus fuerit argumenti, facile etiam existimare licet; istum, nimirum Jesum Nazarenum qui non ita pridem è medio sublatus esset, esse Messiam illum de quo in V. T. esset prædictum, & per hunc oportere salvos fieri, quicumq; salvi fieri cupiant. Cum verò de istoc argumento disputaret, non vaticinatus est S. Stephanus; sed, quid de his quæ jam facta erant, sentiendum esset, docuit. Isti verò ex variis Synagogis Judæi quamvis doctrinam istam falsitatis convincere nequirent, eam tamen amplecti & veram profiteri recusabant. Imò & insidias parabant sancto Viro, falsos quidem subornando testes ipsumq; in jus trahendo: tandem vero effecerunt quoq; ut Vir S. lapidibus obrueretur. Apparet igitur, quàm falsum & *ἀπεροδίωνον* sit illud quod his qui Collationem Hagientem habuerunt, super verbis Stephani in mentem venit, Judæos istos non restitisse Spiritui regenerationis, hoc est, qui ipsos regenerare & convertere voluerit, sed Spiritui

C

Prophe-

Prophetico: quodq; contra illos quoq; nostra probatio stare possit inconcussa. Neq; existimamus quicquam excogitari posse aliud, quo concuti ea atq; everti possit.

XIV. Et si verò unico hujusmodi fundamento satis firmiter innitur ac perstat nostræ thesisi: libet tamen & alia afferre quæ non minus sunt solida. Tale est illud Act. XIII. 46: *vobis necesse erat primum prædicari verbum DEI: ἐπειδὴ δε ἀπαθείατε αὐτὸν καὶ οὐκ ἀξίως κέλευτε ἑαυτὰς τῆς αἰωνίης ζωῆς, ἰδὲ σπεφόμεθα εἰς τὰ ἔθνη,* quia verò illud repudiatis, vosq; ipsi vitâ æternâ non existimatis dignos, ecce convertimur ad gentes. Dissuerat S. Paulus talia quæ ad conversionem & rectam fidem pertinebant. Contradixerant autem multumq; convitiati fuerant Judæi qui Antiochiæ erant. Tunc igitur S. Paulus usus est istis verbis, dixitq; oportuisse primò Judæis verbum DEI prædicari: quando autem isti repellant ac rejiciant illud, hoc est, nec verum agnoscere neq; amplius audire velint, seq; æternâ vitâ indignos ipsi judicent, conferre se Apostolos ad gentes. Necessum igitur fuit primò Judæis prædicari; sine dubio, quod ita jussi essent Apostoli ab ipso DEO. Quo verò consilio id voluit DEUS? An ut tantum audirent verbum; nihil verò amplius facerent? Id profecto absurdum foret. Qui aliquid jubet dici, quiq; alios vult audire id quod dicitur, hunc sanè facillè intelligi licet velle & aliud quippiam; id puta ut illud quod dicitur quodq; auditur, etiam fiat ac præstetur. Quodnam autem est illud quod Deus ab Apostolis quidem dici voluit, à Judæis autem audiri? Doctrina de Jesu Nazareno, credo. Nec audiri tantum voluit, (id enim ineptum foret) sed & credi ac pro verâ haberi. Sed enim quod Deus voluit, id Judæi haud perinde voluerunt. *Ἀπάριστον τὸν λόγον,* ut ex verbis S. Pauli intelleximus, *repulerunt sermonem* ut falsum quendam, nec dignum qui audiretur. Hoc autem pacto se vitâ æternâ indignos judicarunt, hoc est, reddiderunt ipsi. Deus illis verbum curabat ingeri: ipsi verò idem repulerunt. Deus dignos eos studebat facere vitâ æternâ: ipsi verò rursus indignos se redderant, dum Apostolis obloquebantur ac resistebant. Quid verò ex his consequitur? Illud nimirum quod nos volumus, posse homines eam gratiam quæ ad conversionem sui ipsis sufficiat, quaq; eos converti Deus seriò cupiat, rejicere ac negligere; vel, quod idem est, posse fieri ut, quem Deus converti cupiat, cuiq; satis virium ad id largi-

id largiatur, non tamen convertatur. Ut verò hoc sequatur, oportet verba Scripturæ cum verbis thesæos hunc in modum componi: Quibus Deus jubet verbum prædicari, quiq; id repellunt, seq; vitæ æternæ indignos ipsi reddunt, higratiam qua converti possunt, quaq; eos converti ipse Deus cupit, rejecerunt ac neglexerunt. Et nihil causæ dici potest, quod quidem alicujus sit momenti, quin ita istæ sint componenda.

XV. Sed negabunt, scio, jussisse Deum eo consilio Judæis prædicari, ut ipsi crederent, & dedisse eum sufficientes ad eam rem vires. Dicent contrà, si hoc fuisset factum, non potuisse eos verbum repellere. Si igitur hunc in modum negare aut affirmare licet, quid ipsi sacris literis fiet tandem? *ΕπιΦυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ σωμύλματα*, quæ S. Paulus prolocutus fuit, si sic ea interpretari licet. Quis sanus qui serio loqui velit, dicat se jussum esse docere, nec subaudiendum relinquat, hunc qui jusserit velle istæ quæ docentur disci ac pro veris haberi? Judæi certè ex verbis Pauli non aliud intelligere potuerunt, utpote vulgaribus modò vocum significationibus assueti. Neq; aliud possunt qui nunc vivunt, quiq; *τοῖς περὶ κέρμασι* non inserviunt. Si verò aliud sibi voluisset ipse Paulus, iussisset & Judæos istos, & quotquot ejus verba vel antehac legerunt, vel adhuc hodie legunt. *Τὸ δὲ μὴ γένοιτο.*

XVI. Porrò huc quoq; faciunt verba Salvatoris Matth. XXIII. 37. & Luc. XIII. 34. *Jerusalem, Jerusalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis congregat pullos suos sub alas suas, & non voluistis.* Quibus verbis innuit Salvator, se Judæos Hierosolymitanos subinde voluisse congregare instar gallinæ; ipsos verò congregari noluisse. Quid autem est τὸ congregare velle? Et quid est τὸ congregari nolle? Prius, credo, significat idem quod velle facere ut Hierosolymitanis bene esset, ita quidem ut non essent impænitentes nec divinas sibi hac ratione pœnas attraherent. Posterius verò significabit idem quod non agnoscere benevolam istam erga se voluntatem, neq; eam sequi, sed in impænitentiâ semper pergere, atq; ita pœnas sibi suo jumento attrahere. Sic igitur in proclivi est, ex istis verbis Salvatoris sententiam nostram probare. Facimus quidem illud hunc in modum: Quos Christus congregare voluit non semel, quiq; ipsi congregari semper

per detrectarunt, hi cum converti possent, cumq; eos converti Christus cuperet, non sunt conversi. Judæi autem sunt illi quos Christus subinde congregare voluit, quiq; congregari semper detrectarunt. Idem igitur, cum converti possent, cumq; converti eos Christus cuperet, non sunt conversi. Ex quo amplius consequitur, esse homines qui cum converti possent, cumq; eos converti Christus cupiat, non tamen convertantur.

XVII. Quid verò ad hæc talia οἱ ἐν τῷ παρῳ? Wendelinus quidem regerit, *Christum Hierosolymitanos voluisse congregare voluntate præcepti, qua congregatio mandata sit: non voluntate decreti de reprobis convertendis facti.* Quid illud est, velle congregare voluntate præcepti? Et quid voluntas præcepti? Voluntas & præceptum diversæ utiq; res sunt. Et illa quidem existit in mente: hoc verò vocibus constat, & voluntatis est signum. An igitur voluntas præcepti est talis voluntas quæ per præceptum sive mandatum se exerat? Ita quidem voluntas ipsa vera quædam res fuerit. Et illa de congregandis Hierosolymitanis voluntas verè existerit in Christo. Sed hoc Wendelinus non videtur velle. Dicit quidem, Christum voluisse Hierosolymitanos congregare voluntate præcepti, non verò voluntate decreti. Quibus verbis, nisi valde fallor, hoc sibi vult, Christum mandasse quidem ut congregarentur, non autem id cupivisse fieri. Sed quomodo, si quis mandat, quod tamen fieri non cupiat, id voluntatem præcepti appellabimus? Et quomodo hunc talem dicemus verè voluisse? Qui non vult sive cupit aliquid, an ei licet voluntatem ejus quod non vult, tribuere? Vel nihil nos intelligimus, vel hæc sunt ἀσύνετα & ineptè excogitata. Nunquam pejorem ἔρῳαα tulisset orbis, si Christus mandasset quidem ut Hierosolymitani se congregari paterentur, atq; adeò converterentur; non verò id cupivisset. Tale quidem mandatum foret pessimæ simulationis insigne exemplum. Sed regerent illi, simulationem Christum non omnino dedecere, & legi exempla simulationis quam Deus usurpaverit, in ipsa Scriptura. Sanè simulasse alicubi Deum, quiq; Deus est, Christum, nos non negabimus. Imò nec omnem simulationem, quam usurpant homines, illicitam putamus. Licitum sanè neque culpandum est, si quis durius alicui respondeat, optimè tamen eidem velit: aut si jubeat quippiam quod jussu grave ac molestum esse possit, id tamen serio non velit, sed tentandi modo causa sit locutus.

Sed

Sed verò simulare te bene alicui velle & cupere, cum tamen res ita se non habeat, id verò & homines dedecet, & ipsum quoque Deum.

XVIII. Apparuit, quid de eo sit sentiendum quod Wendelinus ad proximam illam probationem regessit: videamus etiam quid regesserint alii. Molinæus brevi rem absolvet, si modo dixerit, quæstionem esse de electis in verbis Christi autem dictum esse de reprobis. Vide c. XLIX, Anat. Arminianismi. Sed hujus τὸ εὐθεῖς demonstravimus supra. Ipsi Collatores Hagienſes, quorum ille voluit ὑπερκαταγγῆναι agere, multo aliter egerunt. Responderunt quidem, esse istæc verba prolata à Christo secundum humanam ejus voluntatem, quam habuerit, ut Doctor Ecclesiæ, non verò secundum voluntatem divinam, hoc est, Christum ut hominem cupivisse Hierosolymitanos congregari atque converti; non verò cupivisse ut Deum. Illi igitur aliam ingressi sunt viam quam Wendelinus. Hic cum diceret, Christum voluisse quidem voluntate præcepti, non verò voluntate decreti, id scilicet voluit, Christum præcepisse quidem, ut Hierosolymitani congregarentur, ac converterentur; non tamen id cupivisse fieri. Collatores Hagienſes autem, Christum cupivisse non negant: sed addunt, voluisse & cupivisse modò ut hominem, non verò ut Deum. Sed & hoc falsum est atque absurdum, Christum ut hominem cupere homines converti; ut Deum verò idem non cupere. Profitetur ipse in cap. VIII. Joh. v. 28. se nihil facere à seipso, sed ut docuerit ipsum Pater, ita se loqui: Patrem qui miserit se, esse secum: Patrem non reliquisse se solum. Se enim τὸ ἀρεστὰ αὐτῷ πατρὶ πᾶντοτε, quæ ipsi placeant, semper facere. Et in cap. V. v. 30. dicit, se nihil posse facere à seipso: nec querere se suam voluntatem, sed voluntatem ejus, qui miserit ipsum. Quæ cum ita sint, qua fronte dici potest, Christum voluisse quidem congregare & convertere Hierosolymitanos, sed non ut Deum id voluisse, verum ut hominem? Ex ipsius Christi verbis intelligimus, ipsum nihil facere à se ipso, sed semper facere quæ DEO placeant, & ut docuerit eum Pater. Ex quo intelligi licet, id quoque quod voluit Hierosolymitanos congregare & convertere, quodque ut se congregari paterentur, eos hortatus est, doctum ipsum, esse à Patre, idemque Patri placuisse. Si verò Patri hoc placuit quod Salvator Hierosolymitanos ad penitentiam exhortatus est: sequitur amplius, ipsum quoque Patrem cupivisse, ut Hierosolymitani converterentur. Scilicet, ad quod quispiam hortatur, vel, ut

Alius hortetur, vult ac cupit, id quoque ipse hortans ille cupit fieri. Hæc vulgaris vocum vis est: neque putandum est tam vulgarium vocum in sacrâ scripturâ aliam vim esse, quam quæ vulgò obtinet.

XIX. Sed regefferunt Collatores Hagienteses & aliud quippiam. Dixerunt quidem, non dixisse Christum, se voluisse liberos Jerusalem congregare, hos verò noluisse, sed dixisse illum de Jerusalem, atque indigitasse primores populi & Phariseos qui obstiterint, quò minus Christus eorum liberos, hoc est, cives & discipulos congregarit. Verùm enim vero prorsus nihili & illud est. Primò non observatum est, nomine urbis significari modò primores civitatis; non verò populùm promiscuum. Est sanè metonymia quædam, si nomen urbis ponatur pro incolis. Sed non ita usurpatur istæc metonymia, ut solos primores notet. Quod item de filiis Jerusalem dicitur, id non de plebe tantùm & discipulis Phariseorum est intelligendum, sed de quibusvis urbis inhabitatoribus, ipsis quoque Phariseis & primoribus populi. Neque verò novum hoc est, habitatores urbis vocari *filios ejus*. Ita II. Par. XXVIII. II. בְּנֵי יְרוּשָׁלַם *filii Jerusalem* dicuntur qui Hierosolymam incoluerunt. Et Efr. II. I. בְּנֵי הַמְּרִינָה *filii provincie* dicuntur, qui in provinciâ habitant. Et est sanè in verbis Christi aliquid Hebraismi: quod & in nostro de Hebraismis Nov. Testam. Commentario commemoravimus. Ceterum ipsos quoque Phariseos & primores populi potuisse à Christo congregari & converti, id intelligitur quoque ex eo quòd mox additur, καὶ οὐκ ἠθέλησάτε & non voluistis. Est id verbi secundæ personæ: & referendum igitur est ad nomen Jerusalem, quod secundum Collatores Hagienteses, ipsos quoque Phariseos & primores populi denotat. Denique nec illud novum est, primò nomen Jerusalem poni, quo tota civitas significetur, & deinde tamen nominari quoque filios ejus. Sic enim & in cap. XIX. Lucæ factum videmus. Primò ibi Christus alloquitur totam civitatem his verbis: *Sic tunc vos, & quidem in hoc tempore tuo &c.* Quæ quidem de civibus sunt intelligenda. Quæ verò deinde sequuntur, ea de urbe, hoc est, de ædificiis & mœnibus possunt intelligi. Verbum ἐδάφιζεν sanè de tali actione intelligendum fuerit, quæ ipsi urbi sit eventura. Urbes, inquam, solent ἐδάφιζεσθαι, non ipsa civitas, sive homines qui sunt in urbe. Præcipuè verò ipsa urbs est intelligenda, cum dicitur, καὶ τὸ τέκνον οὐκ ἔστι

οὗ ἐν οὐδὲ ἔσσιλιος tuos in te. Hic enim τὰ τέκνα sine dubio sunt
 habitatores urbis. Pronomen τοί autem referendū est ad, ipsam urbem.
 In hac enim sunt & degunt τὰ τέκνα αὐτῆς filii ejus, hoc est, habitato-
 res. Quod etiam sequitur, καὶ οὐκ ἀφήσασιν ἐν οὐδὲ λίθον ἕπι λίθῳ,
 id quoque ad urbem est referendum. Postremum verò ἀνθ' ὧν οὐκ ἐ-
 γνως &c. ad civitatem rursus sive ad cives referri oportet.

XX. Verba Christi quæ Matth. XI. 21. leguntur, nostram senten-
 tiam & ipsa solide probant. Habent eas sic: *Væ tibi Chorazin, væ tibi
 Bethsaidan. Nam, si Tyri & sidone factæ essent virtutes istæ, quæ factæ sunt
 in te, jam olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent.* His verbis Salva-
 tor Chorazæis & Bethsaidanis pœnam, & æternam quidem damnationē,
 denunciat, quod, cum possent pœnitentiam agere, non tamen egerunt.
 Quod non egerint pœnitentiã, id facile intelligitur. Potuisse autem illos
 pœnitentiam agere & sufficientes ad eam rem habuisse vires, id intelli-
 gitur ex eo quod Salvator dixit, Tyrios & Sidonios acturos fuisse pœni-
 tentiam, si tantum gratiæ ipsis evenisset, quantum evenit Chorazæis
 & Bethsaidanis.

XXI. Sed ad hæc quoque varia regeuntur. Wendelinus lib. I.
 Christ. Th. c. 26. scribit, *non agi tibi de gratiã internã regenerante, neque
 etiam de internã mentis conversione sed tantum de externis medijs, nempe
 concionibus Prophetarum & insignibus Dei operibus in Eccl. Judaicã olim
 conspicuis: item de pœnitentiã externã consistente in pavoribus & externo
 pietatis studio, quod etiam in reprobis & non renatis aliquando conspiciatur.*
 Sustinet ille Auctor negare, Chorazæis & Bethsaidanis obtigisse gratiam
 internam qua converti potuerint: itemque, Tyrios & Sidonios veram
 pœnitentiam fuisse acturos, si hæc eis obtigissent, quæ Chorazæis eve-
 nerunt. Adeone igitur ambiguum & incertum est, quid phrasi istã
 ἐν οὐκ ἐγνως καὶ ἀφ᾽ ὧν μετανοεῖν, significetur? Verbum μετανοεῖν,
 per se idoneum est ad significandum, de verã ac salutari pœnitentiã &
 de conversione hic agi, non de externo quodam pietatis studio, de
 pœnitentiã externã. Si verò τὸ ἐν οὐκ ἐγνως καὶ ἀφ᾽ ὧν addatur, idem
 adhuc magis liquet. Sed quid rei est pœnitentia illa externa, illud
 externum pietatis studium? An istis vocabulis denotatur illud, exter-
 nis modo operibus pœnitentiam simulare, non autem revera & agere?
 Hocce igitur illud est, quod Salvator voluit, Tyrios externis ope-
 ribus

ribus pœnitentiam fuisse simulaturos? O frontem hominum, qui tam frivola Salvatori affingere, deque eo scribere non verentur! Scripserunt tamen & Collatores Hagienſes, itemque illorum ὐπερωϊσῆς Petrus Molinæus, non agere Salvatorem de verâ conversione, sed hoc modo sibi voluisse, potuisse Tyrios aliquâ reverentiâ tangi & sensu peccatorum affici, & illâ pœnitentiâ dejici quæ nescatur ex metu pœnæ, si coram eis facta fuissent miracula, quæ facta sunt coram Chorazinis. Quid porro causæ est, cur existimare debeamus, verbis Christi non agi de gratiâ internâ regenerante, sed modo de externis mediis, concio...ibus puta & miraculis? Fit sanè mentio τῶν δυνάμεων. Qua voce miracula Salvatoris significari, non est dubium. Sed quoties miracula edidit Salvator, & quoties docuit, toties & corda terigit, & gratiam præbuit internam. Dum Chorazæis væ acclamavit Salvator, procul dubio pœnam iis denunciare voluit, quam suâ malitiâ sibi attraherent; quod cum tot miracula vidissent, & tot audiissent conciones, non tamen pœnitentiam egerunt, cum tamen Tyrîi ac Sidonii pœnitentiam acturi fuissent, si ipsis paria evenissent. Non autem potuisset Chorazæis pœnam denunciare, quod ex aspectu miraculorum & ex aud... verbi non fuerunt conversi, nisi ipsi ex aspectu atque auditu isto potuissent converti, & nisi unâ cum externâ gratiâ ipsam quoque internam acceperissent.

XXII. Videamus porro & illa verba quæ initio cap. V. Esaïæ leguntur, quæque nostram causam solidè quoque probare possunt. Habent eas sic: *Vinea est dilecto meo in colle pingui. Et sepivit eam, & lapides ex eâ elegit, & consevit eam generosis vitibus, & extruxit turrim in eâ atque etiam torcular in eâ extruxit, cumque expectaret, ut ferret uvas, edidit labruscas.* Nunc ergo habitatores Jerusalem & viri Juda judicate inter me & vineam meam. *Quid est quod debui ultra facere vineæ, & non feci eî? Cur igitur cum expectarem, ut ferret uvas, edidit labruscas?* Est in his verbis, ut apparet, perpetua quædam metaphora. Quid tamen ea sibi velit, haud difficulter potest intelligi. Primò dilectus ille Prophetæ sine dubio est ipse Deus & Christus Ecclesiæ sponsus. Pinguis verò collis, quem Propheta Hebraicè קַרְנֵי צֶדֶק cornu filium olei, vocat, est ipsum solum urbis Hierosolymæ, quod collibus partim, partim vallibus constabat. Vinea porro quam Deus habere dicitur, est populus Judaicus & cives Hierosolymitani. Quod verò vineam omnî studio Deus dicitur curasse, atque ut bonos fructus ferret, expectare

Etasse, ex eo intelligitur, populo Judaico omnia gratiæ auxilia obtigisse; quibus si uti voluissent, potuisse illos ea agere quæ Deus ab ipsis requireret, quæque ei fuissent grata. Quod denique vinea dicitur labruscas edidisse, non uvas, ex eo intelligitur, populum Judaicum divinam gratiam non rectè fuisse usum, neque veram egisse pœnitentiam. Ergo jam habemus homines, qui cum potuissent converti & pœnitentiam agere, non tamen id fecerunt, atque adeo divinam gratiam neglexerunt: id quod nos suscepimus demonstrandum.

XXIII. Sed nec his sibi satisfactum credit pars adversa. Wendelinus quidem de Judæis non convertis atque reprobis *ἀποστόλους* negat, omnia auxilia quæ ad pietatis & justitiæ officia præstanda sunt necessaria, illis obtigisse sive applicata esse. Si verò dicas, si non omnia essent applicata, Deum non potuisse dicere, *Quid amplius faciendum vineæ meæ quod non fecerim*: negabit ille hoc sequi; quia in allegato loco Deus non nisi de externis mediis loquatur, quæ nisi mala fuisset vinea, ad fructus procurandos omnino fuisse sufficientia. Deum enim comparare se vinitori, qui suo plenè fungatur officio, quando externam omnem vineæ culturam adhibeat. Mira profectò insinatio. Ipse Deus quærit, quid amplius faciendum sit vineæ suæ, quod non fecerit, & sic quærendo negat utriusque quicquam omisisse eorum quæ ad populum convertendum pertinerent. Et tamen negare sustinet Wendelinus, omnia necessaria auxilia Judæis reprobis obtigisse. Quæ verò caula est quod id negat sequi? Quia, inquit, Deus non nisi de externis mediis loquitur: quæ nisi mala fuisset vinea, ad fructus procurandos omnino fuissent sufficientia. Ergo apparet, uti eam restrictione quadam in verbis Dei intelligendis, Deus profiteretur, se nihil externorum auxiliorum omisisse. Hoc ille sic restringit, ut Deus dixerit, se nihil auxiliorum externorum omisisse. Unde autem id scire potest Wendelinus? Putat se id scire posse ex eo quod DEUS se vinitori comparavit. Quemadmodum enim vinitor suo plenè functus sit officio, si omnem externam culturam vineæ adhibeat, ita & Deum omnia necessaria auxilia adhibuisse, si modò omnia externa adhibuerit. Vulgarum est, quæ inter se similia sunt, non per omnia esse similia. Est igitur Deus vinitori similis. Sed videndum quousq; se similitudo ista exporrigat. Vinitor vineam sanè colit, facitq; varia quibus uberem vindemiam procuret: ipsam tamen virtutem producendi botros, plantis quæ eam non habeant, communicare non potest. Deus autem non externam tantum gratiam conferre potest, sed & internam: non

tantum verbum suum prædicandum curat, sed & vires confert quibus verbo credi possit. Atque hæ vires ad conversionem hominis prorsus sunt necessariae. Neque enim sine his conversio omnino fieri potest: id quod nec Wendelinus negabit. Qui igitur idem ille scribere poruit, Deum eò se comparasse vinitori, quòd, quemadmodum hic suo plene functus sit officio, si externam modò culturam adhibeat, ita & DEUS fecerit omnia quæ ad convertendum hominem, pertineant, si externam gratiam hominibus conferat? Magnum sanè DEI beneficium est externa illa prædicati verbi gratia. Ut autem homo convertatur, requiritur & interna quædam: ut Deus etiam cor aperiatur, ac facultatem qua verbo credi possit, suppeditet. Quid verò hoc sibi vult, quod scribit, nisi mala fuisset vinea, externa media ad fructus procurandos fuisse sufficientia? Ergone Deus in prædictis verbis agit cum hominibus, ut in primæva integritate adhuc persistentibus, neque miseræ hominum ullam habet rationem? Imò verò, quia vinea mala est, nec per se potest bonos fructus ferre, miseretur Deus, & culturam ei adhibet, hoc est, vires largitur ad conversionem necessarias, & quibus piè justeque vivi possit.

XXIV. Quod denique Wendelino objici possit, DEUM sperasse & expectasse fructus bonos: ergo eà intentione ipsum vineam coluisse, ut bonos fructus ferret, ad id respondet ille his verbis: *Consequentia negatur. Spes & expectatio tribuitur Deo improprie, & aliud nihil hoc loco significat quam postulatam officii præstandi. Secus si dicas, proprie DEUM sperasse futurum, quod non evenit, vel ignorantie vel imprudentie accusabitur &c.* Quid illud est, quod dicit, consequentiam negari? Ergone novissima istæ collectio in canones Logicos impingit? Ponamus eam integram, ut ejus vis appareat: Quicumq; vineam coluit, & bonos inde fructus speravit atque expectavit, is eà intentione coluit, ut vinea bonos fructus ferret. Atqui Deus vineam coluit, & bonos inde fructus speravit. Idem igitur DEUS eà intentione coluit, ut vinea bonos fructus ferret. In hac argumentatione quid est quod merito reprehendat Wendelinus, ut consequentia sit neganda? Satis apparet, esse eam consuetæ formæ, & consequentiam igitur haud negatam oportuisse. Sed fortassis unam præmissarum Wendelinus negabit, & quidem priorem. Cur verò illud? An ista quæ de spe atque expectatione ipse commentatus est, impedire poterunt, quo minus præmissarum una habeatur pro vera? Scimus spem atque expectationem affectus esse

com-

compositos, & tum opinionem, tum quoque desiderium exprimere. Ex quibus opinio de bonis fructibus edendis, qui tamen editi non sunt, DEO utpote omniscio competere non potest. Sed alterum illud, desiderium puta bonorum fructuum ab hominibus edendorum, Deo vere competit. Si verò propter prius illud spes de DEO improprie & *ειθροπικως* dicatur: propter posterius tamen maximè proprie de eodem dicetur. Non *καὶ μεταφορῶν*, sed proprie dicitur DEUS salutem nostram velle ac desiderare. Atque hanc significationem vocum spes & expectatio, ut nim. desiderium denotent, contendimus & in verbis Dei apud Prophetam obtinere. Quòd verò Wendelinus, cum dixisset, spem & expectationem Deo improprie tribui, subjicit deinde, istas voces nihil aliud hoc loco significare quàm postulatam officii præstandi, id cum desiderio illo quod ex istis vocabulis nos eruimus, non malè congruit. Nimirum qui postulat, is quoque id quod postulat, desiderare solet. Et licet ex hac quoque Wendelini interpretatione nostram propositionem stabilire: tantum abest ut ea interpretatio propositionem istam evertat. Propositio habebat ita: Qui vineam coluit & jam bonos ex eà fructus expectat, hoc est, ut Wendelinus explicat, suo jure postulat, is ea intentione coluit, ut vinea bonos fructus ferret. Hæc, inquam, propositio tantum abest ut per Wendelini interpretationem evertatur, ut etiam sic liquidò appareat, quàm arcta istius prædicati cum isto subjecto sit coherentia. De gnavo agricolâ ait Poëta: *Exercetq; frequens tellurem atq; imperat arvis.* Sic & de gnavo vinitore dici possit, cum, dum vineam diligenter colit, vineæ suæ imperare quasi, ut uberem fructum edat. Ex quo sanè & hoc intelligi potest, agricolam & vinitorem fructus desiderare, & eo animo ipsos colere, ut fructus tandem accipiant.

XXV. Egregiè quoque ad nostram sententiam probandam valet, quod Esa. LXV. 2. legimus, *Expandi manus meas toto die ad populum rebellem, qui ambulat viâ non bonâ, secundum cogitationes suas.* Nec minùs illud quod Ezech. XII. v. 2. legitur: *In medio domus rebellis confides; quibus sunt oculi ad videndum, nec vident: quibus sunt aures ad audiendum, nec audiunt, quia domus rebellis sunt.* Qua ratione ex his argumentari liceat, id facile est cogitare. Ponemus nos primas modò propositiones: Ad quos Deus manus suas toto die expandit, qui quæ tamen rebelles fuerunt, & viâ non bonâ ambularunt, hi cum possent præsentiam agere, cumque Deus cuperet, ut id facerent, non tamen.

pœnitentiam egerunt. Item: Qui oculos habuerunt ad videndum, nec tamen viderunt, & aures ad audiendum, nec tamen audierunt, hi cum per divinam gratiam pœnitentiam agere possent, non tamen egerunt.

XXVI. Sed has primas propositiones negabit illico Wendelinus & ejusdem sectæ ceteri. Ad priorem quidem Wendelinus sic respondet: *Si, ad quos Deus expandit manus, non sunt conversi, falsum est ad eos convertendos manus DEI expansas esse.* Hec enim manuum DEI expansio aliud nihil est, nisi externa vocatio, cum qua conversionis gratia in specie sic dicta non semper est conjuncta. Finis ejus est non conversio reprobatorum, sed convictio & ἀναπολογία. Apparet, ipsum ex phrasi expandere manus non id intelligere, quod Deus conversionem Judæorum desiderarit, atque ad eam sufficientes quoque vires largitus fuerit; sed quod modo vocaverit eos externo verbo. Nimirum hoc solenne est istis hominibus, ut internam vocationem ab externâ subinde sejunctam putent. Sed cogitare atque existimare debebant iidem illi, quàm ineptos Scriptoribus sacris, atque adeo ipsi Deo sermones per istas suas interpretationes affingant. Deus ubi dicit, *Expando manus meas toto die ad populum rebellem*, conqueritur utique de malitiâ hominum. Quem verò de malitia hominum conquerentem audimus, ei vulgò intelligere solemus malitiam istam minimè placere; sed cupere ac desiderare eum, ut malitia ista desinat, contra verò piè ac justè vivatur. Annon verò & ex querelâ Dei talia intelligere licet; Deum puta malitiam àversari, & cupere, ut piè ac justè vivatur? Si non licet, quid attinebat tali querelâ Deum uti? Et annon homines Deus sic iussisset, quod verbis aliud significasset, quàm ipse sentiret? Si verò querelam DEI sic intelligere licet, ut vulgò querelas intelligere solemus, habemus jam Deum non modò ad pietatem homines vocantem, sed & seriò id volentem ac desiderantem, ut piè vivatur. Sed ad piè vivendum scimus novas etiã vires requiri. Quas quin Deus dare possit, nemo dubitaverit. Cum igitur cupiat Deus, ut homines malitiâ suâ desistant ac piè vivant; atque etiã vires ad hoc præstandum largiri possit: annon amplius & hoc credere fas est, eundem Deum ad largiendas quoque istas quas largiri potest vires paratum esse? Quid quæso isti divini Numinis desiderio magis est consentaneum, quàm ut ad illud quod fieri cupiat, quodque ut fiat, vires quoque largiri possit, easdem has vires etiã largiri velit, & reapsectiã largiatur

tur? Ipsa sana ratio facile suggererit, non posse aliter se rem habere, quam ut posterius illud arctissime cohæreat cum priori.

XXVII. Videamus etiam, quid ad locum Ezechielis regesserit Wendelinus. *Per oculos ad videndum, inquit, & aures ad audiendum non intelligitur interior conversionis gratia, sed exteriorum in homine sensuum vis, qua & audire populus Prophetarum conciones poterat & videre DEI mirabilia opera & beneficia.* Facile intelligitur, quid his sibi velit. Nimirum si externis modo sensibus dicantur instructi fuisse Israelitæ, non posse ex eo colligi, internam quoque conversionis gratiam iisdem fuisse oblatam. Verum enimvero non proprie, sed metaphoricè in textu Ezechielis oportere verba intelligi, vel ex eo constat, quòd, si proprie ea intelligerentur, forent eadem falsa. Mirabilia opera DEI externis oculis satis videbant Israelitæ: neque poterant non videre, nisi oculos prorsus clauderent. Nihil vero novi est, vocabula externorum sensuum transferri quoque ad intellectum: estque id in omnibus linguis usitatum. Ipse Aristoteles ὁ ψυχὴν aliam scribit esse oculorum, aliam mentis: & eam quæ mentis est, κατ' ἀναλογίαν sic dici. Ipsæ quoque illæ ῥήσεις quibus S. Ezechiel usus est, reperiuntur & alibi in facris, & eadem quoque significatione usurpata. Et semel quidem Deut. XXIX. 4. *Et non dedit vobis Dominus cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum usque ad diem hunc.* Quis hic dubitet, Israelitæ habuisse oculos quibus mirabilia ista de quibus ibi agitur, viderent? Quòd dicitur de oculis dicitur, hos eis non fuisse datos ad videndum, id nihil aliud significat, quam quod præcesserat, non datum eis fuisse cor ad intelligendum. Una eademque res, inquam, duabus, imò tribus diversis ῥήσεσι, quarum prima propria, altera & tertia impropria est, significatur. Quod & S. Augustinus quæst. L. in Deuteron. notavit, his quidem verbis: *Quomodo ergo ait superius, Vos vidistis tentationes magnas quas viderunt oculi tui, si non dedit Dominus eis oculos videre, & aures audire? Nisi quia viderunt corpore, & corde non viderunt, quia oculi dicuntur & cordis. Ad hoc pertinent duo quæ sequuntur, & oculos videre, & aures audire, id est, intelligere & obtemperare.*

XXVIII. Egregie quoque huc pertinet quòd S. Lucas cap. VII. v. 30. scribit, *Pharisæos ἠφρηκέναι τὴν βελὴν τῆς Θεῆς εἰς ἑαυτοὺς μὴ βαπτισθέντας ὑπὸ Ἰωάννου, Phariseos contempnissse consilium DEI contra se ipsos, dum non baptizati sint sive baptizari noluerint à Johanne.*

Fuit ibi βελῆ τῷ Θεῷ *consilium* sive *voluntas* DEI de baptizandis Pharisæis, atq; adeo & salvandis. Sed id consilii Pharisæi contemserunt, contra se ipsos, hoc est, in suam ipsorum perniciem, dum à Johanne baptizari noluerunt. Ex quo satis apparet, posse divinam gratiam qua converti ac salvari quispiam possit, negligi, contemni ac repudiari. Sed nec illud prætermittendum quod Salvator Joh. V. 39. 40. dicit: *Vos scrutamini scripturas, quia putatis, in illis vitam æternam vos habere. Et ille ipse sunt quæ de me testantur. Sed non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Dicit Salvator, Judæos scrutari equidem Scripturas, quod existiment, & rectè quidem, se vitam in illis habere: cumq; eadem illæ Scripturæ de se testentur, utpote unico vitæ auctore, nolle tamen Judæos ad se venire, uti vitam consequantur. Incusat igitur Judæos istos, quod cum venire ad se possint, & vitam habere, id tamen facere detrectent, atq; adeo nec vitam consequantur. Magnum quoq; momentum habet, quod in Ps. XCV. dicitur, & in ep. ad Hebræos aliquoties repetitur, *Hodie cum vocem ejus auditis, nolite obdurare cor vestrum.* Hortatur ille, ne homines ad auditum verbi divini corda sua obdurent. Ex quo intelligitur, posse id utiq; fieri ut homines corda sua ipsi obdurent, cum possent habere mollia. Rursum tamen & illud intelligitur, posse fieri, ut homines corda sua non obdurent, sed ea mollia esse patiantur; per divinam tamen gratiam. Porrò non minoris momenti, quàm proximum, est illud Apoc. III. 20: *Ecce sto ad ostium, & pulso. Siquis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, intrabo ad ipsum, & cum ipso cœnabo, & ille mecum.* Sunt hæc mera metaphorica. Quæ quid sibi velint, haud difficulter tamen intelligi potest. Illud stare ad ostium & pulsare, sine dubio nihil aliud est quàm ad pœnitentiam & conversionem quempiam vocare, atq; ut convertatur quispiam, seriò velle ac desiderare. Audire vocem autem ejus qui pulsat, & ostium aperire, nihil aliud est quàm illud facere quod pulsans ille cupit, hoc est, pœnitentiam agere & converti. Quod autem dicit, siquis aperiat ostium, in ejus domum se intraturum, ex eo intelligitur, quosdam pulsanti ostium aperire, alios autem, cum & ipsi debeant ac possint, non aperire, hoc est, gratiam oblatam negligere, neq; eâ, uti par est, uti.

XXIX. Sed recordamur, duas nos theses, perquam vicinas illas ac cognatas, suscepisse defendendas. Quarum una est, posse fieri ut quem

quem Deus, utpote adhuc infidelem, convertere cupiat, non tamen convertatur. Altera, posse fieri ut quem Deus in fide conservare cupiat, tamen in fide non perseveret, & vel æternum pereat. Ceterum conversio hominis vel omnino nova & prima est; ante quamputa nunquam ulla facta est: vel est iterata; quam & reversionem commodè dicere possis. Sunt, qui cum fideles nunquam fuerint, primum convertuntur. Sunt item qui cum verè fideles aliquando fuerint, fide autem exciderint rursus, convertuntur denuo. Istis igitur quæ hæcenus attulimus, sine dubio probatum hoc est, conversionem primam posse ab ipsis hominibus impediri. Imò, quem libido contradicendi non teneat, facile & illud concesserit, esse inter superiora illa, quo & hoc probari possit, conversionem secundam quoq; aut à primâ illâ adhuc remotiorem, posse itidem impediri; vel, quod idem est, cum Deus hominem iterum aut tertio convertere cupiat, posse id tamen non fieri. Sanè neminem istorum Israëlitarum, de quibus DEUS apud Prophetas questus est, quod aures ad audiendum & oculos ad videndum habeant, & tamen neq; audiant neq; videant; neminem, inquam, illorum fidelem unquam fuisse, parum est verisimile. Siverò hoc liqueat, secundam, tertiam aut ulteriorem quoq; conversionem impediri posse: facile & illud intelligitur, posse fieri ut fideles à pietate ac fide desciscant. Nimirum non potest secunda quædam aut tertia conversio fieri, nisi præcesserit averfio, hoc est, nisi pietas ac fides fuerit amissa. Frequens est in Prophetarum libris, ut excitentur homines impii ad revertendum. In quam sententiam Joël. II. 15. hæc leguntur: *Convertimini ad me ex toto animo vestro, jejunio, & fletu, & plandiu: lacerate corda vestra, & non vestes vestras.* Quoniam igitur reverti jubentur, oportet eos à Deo fuisse averfos. Et quia à DEO averfi fuerunt, eumq; reliquerunt, facile intelligitur, eos pietatem & fidem antea habuisse. Quod verò horratur Deus ut revertantur, ex eo intelligitur, esse id ipsis liberum, utrum reverti velint, nec ne: posse illos id vel facere vel ommittere. Tale quoq; est quod Es. c. I. v. 19, legitur: *Lavate vos, purificate vos: amovete malignitatem a visceribus vestrarum ex oculis meis, desinite male facere, discite bene facere, querite jus, &c.* Item quod Ezech. XVIII. 31 legitur: *Abjicite à vobis omnes defectiones vestras quibus defecistis, & facite vobis cor novum & spiritum novum.* Omnia igitur hujusmodi, quibus malos homines

hor-

hortantur Scriptores sacri, ut à malis operibus abstant, contra vero præstent bona; omnia, inquam, illa satis ostendunt, malos homines posse facere quod jubentur, h. e. bonum, & posse etiam non facere: posse omittere quod vetantur, h. e. malum, & posse etiam non omittere. Et valent pleraq; omnia ad probandum tam illud, quod conversio prima, quàm hoc, quod & conversio secunda; vel à primâ etiam remotior quædam impediri possit.

XXX. Quod vero hujusmodi exhortationes ad renatos quoq; & fideles diriguntur, ex eo alterius nostræ thesæos veritas constare potest; posse scilicet & illud fieri, ut qui fideles jam sunt, in fide non perseverent, sed ab ea desciscant. Nimirum ad quod adhortantur sacri Scriptores, id tam non fieri quàm fieri potest. Et rursus, à quo dehortantur, id tam fieri quàm non fieri potest. Nisi vero res ita se haberet, quid illis sive adhortationibus sive dehortationibus opus foret? Sed ipsas illas videamus. Una quædam est I. Pet. III. 17: Φυλάσσεσθε ἵνα μὴ τῇ τῶν ἁγέσμων πλάνῃ συναπαρθεύετε ἐκπίσσητε τῷ ἰδίῳ σπείχημῃ, Cavete ne illorum nefariorum errore unâ cum illis abduci, excidatis à propriâ stabilitate. Stabilitatem istam quam aliam credemus esse quàm quæ est fidei? Hac igitur stabilitate dicit cavendum esse ne excidatur, atq; adeo, ne excidatur ipsâ fide. Porro ex eo quod dehortatur, liquet utiq; posse id usu venire, ut stabilitate fidei, atq; ipsâ adeo fide quispiam excidar. Contra idem Apostolus in eadem epist. etiam ad contrarium nos hortatur. Σπυδάσσητε, βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλήσσην καὶ ἐκλογὴν ποιῆσαση. ταῦτα γάρ ποιῶντες μὴ πείσσητε ποτε. Studete vestram vocationem & electionem firmam facere. Hoc enim si feceritis, nunquam impingetis. Huc etiam pertinet quod II. Joh. v. 8. legitur: Respicite vos ipsos, ἵνα μὴ ἀπολέσσημεν ἀ ἐργασίμηθα, ἀλλὰ μισθὸν πλήρη ἀπολάβωμεν ne perdamus quæ operati sumus, sed mercedem plenam accipiamus. Plena ista merces sine dubio ipsa vita æterna est. Eadem quoq; hæc est illud quod Apostolus dicit se atq; alios operatos esse. Estq; talis ῥῆσις qualis illa Phil. II: Cum timore & tremore τὴν σωτηρίαν ὑμῶν καταργῆσατε salutem vestram operamini. Sed jubetur caveri, ne perdamus sive amittamus quod operati sumus, hoc est, ne spe vitæ æternæ, quæ jam satis certa tenere nos

nos potest, rursus excidamus. Porro huc pertinet quod I. Cor. X. v. 12. legitur: *Qui sibi videtur stare, βλέπω μὴ πίστιν videat ne cadat.* Præmiserat Apostolus, quæ de peccatis Israëlitarum memoriæ prodita sunt, ea scripta esse *πρὸς νεθεσίαν ἡμῶν ad exhortationem nostram; ne scil. consimilibus peccatis nos obstringamus.* Deinde addit: *Qui videtur stare, videat ne cadat* (sic ut Israëlita.) Illud cadere sive de defectu fidei sive pietatis morum intelligatur, perinde est. Nam si pietas morum desinat, necesse est ipsam quoque fidem desinere. Qui enim credere quispiam possit, se propitium Deum habere, quem exosis ipsi operibus offendere non desinat? Quamobrem ipsa quoque illa merito huc trahimus, quibus à malis operibus nos dehortantur Scriptores sacri. Quale etiam est illud Rom. VI. 12. 13: *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obtemperetis ei in cupiditatibus ejus. Neq; sistite membra vestra arma in justitiæ peccato, sed sistite vos Deo ut ex mortuis vivos, & membra justitiæ Deo.* Talia sunt & illa I. Cor. X. *Ne sitis idololatæ, v. 7. ne scortemur, v. 8. ne murmurate, v. 10.* Scripta sunt hæc omnia ad renatos ac fideles. Et apparet igitur, posse fieri ut in renatis quoque peccatum incipiat regnare, ut renati scortentur, murmurent, idololatæ sint. Cum verò hoc faciunt, tum in fide & pietate non amplius perseverant, sed tum circa pietatem, tum quoq; circa ipsam fidem naufragium faciunt. Sed videamus plura id genus. Ep. ad Hebr. c. III. v. 12: *Videte fratres, ne sit in ullo vestrum cor malum, incredulum, desciscendo à DEO vivo.* Potest igitur in fratribus quoque, hoc est, in renatis esse cor malum & incredulum, adeo ut à DEO vivo desciscant. Ep. I. ad Thess. c. V. v. 19. *τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε spiritum ne extinguite.* Ergo & hoc fieri potest, Epist. II. Cor. VI. 1: *ἠδὲ χάριτος μὴ εἰς κενὸν τὴν χάριν εἰθεῖς δεξάσθαι ὑμᾶς, Rogamus ne gratiam Dei frustra acciperitis.* Stultum sanè esset, rogare, ne gratiam Dei frustra accipiamus, si ea frustra accipi non posset? Quid verò illud, gratiam DEI frustra accipere? Significat, credo, nihil aliud quàm in fide & pietate, in qua pergere possis, non tamen pergere. Sed non tantum illud quo præscribitur quid non facere, sed & illud quo præscribitur, quid facere debeant renati, nostram veritatem firmare potest. Exempli gratiâ, quod Apocal. cap. II. vers. 11: *Tene quod habes, ut nemo rapiat coronam tuam.* Item I. Tim. I. 19: *ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν habens* (ut habeas) *fidem & bonam conscientiam.* Item Coloss. III. v. 5.

E

Morti-

Mortificate membra vestra terrestria, scortationem, impuritatem, molli-
 tiem. &c. Nimirum quod hortantur Viri sancti, ut istæ fiant, ex eo
 intelligi datur, posse eadem etiam non fieri, posse omitti. Ceterum,
 quod ex exhortationibus istis nunc nos colligimus, idem illud collegit
 quoque ex iisdem S. Augustinus. Hinc in lib. de gr. & l. arb. ita scri-
 bit: *Ipsa divina præcepta homini non prodesse, nisi haberet liberum vo-*
luntatis arbitrium. Et paucis interjectis: *Quid illud quod tam multis lo-*
cis omnia mandata sua custodiri & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non
est liberum arbitrium? Et iterum paulo post: *Nempe ubi dicitur, Noli*
hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divi-
nis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.
Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisq., cum pec-
cat. Neq., cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria vo-
luntate.

XXXI. Sed plures adhuc cuneos producamus argumentorum, qui-
 bus probemus illud, posse fieri ut qui verè fideles sint ac pii, quos
 DEUS in fide conservare cupiat, non tamen in illà perseverent. Et qui-
 dem illud etiam consideremus, quod S. Paulus assertionibus suis toties
 conditionem ipsius fidei subnectit. In ep. ad Coloss. c. I. v. 22. hæc sunt:
Cum essetis quondam ab alienati, nunc (sanè vos) reconciliavit, ut sistat vos
sanctos & inculpato & irreprehensos in conspectu suo, εἰς Ἰησοῦν τῆν
πίσιν τε μελιωμένοι καὶ ἐδράιοι: si manseritis in fide fundati & stabiles.
 Ex his apparet, Christum nos reconciliasse, hoc est, justificasse & peccata
 nobis remississe, eum quidem in finem, ut nos sistat sanctos & inculpa-
 ros. εἰς Ἰησοῦν τῆν πίσιν si modo nos permanserimus in fide. Chri-
 sti quidem intentio optima est, cum nos sibi reconciliat & peccata no-
 bis remittit; nim. ut deinceps sancti & inculpati simus, hoc est, à pec-
 catis nos abstinemus, & contra bene agamus. Sed fieri potest ut quidam
 μὴ Ἰησοῦν τῆν πίσιν in fide non maneant: in fide verà, inquam, quæ
 ἀπὸ τῆς χάριτος ἐνεργεῖται per charitatem operatur, ut S. Paulus
 eam vocat, quæque pietatem semper comitem habet. Aliud exemplum
 conditionis quam dixi, legitur I. Tim. II. 15: *salvabitur autem mulier*
in liberorum procreatione (in isto etiam liberorum procreandorum statu
salvari potest) εἰὰ μείνωσιν ἐν πίσει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἀγιασμῶ καὶ
σωφροσύνης, si manserint (fœminæ) in fide & charitate & sanctitate cum
obrietate. Quod dicit, salvatum iri sive salvari posse fœminas, si mo-
 do man-

dò manserint in fide &c. ex eo facile intelligitur, si in fide non manserint, eas nec salvatum iri: & porro quoque illud, posse fieri, ut eadem in fide non maneant. Pari ratione Rom. XI. ubi de incredulis Judæis agit, exhortatur & illos qui ex gentibus jam conversi & fideles erant, ut considerent benignitatem Dei in se, quod sanctæ radici insertæ essent per fidem. Sed addit quoque v. 22. *εάν πιστεύσῃς τῇ χριστιανικῇ* si modò ipse (tu fidelis sive converse ex gentibus) permanseris in benignitate, hoc est, in fide quam divinâ benignitate accepisti. Quam interpretationem rectam esse, ostendit illud quòd de Judæis incredulis mox additum, posse illos rursus inferi, unde excisi sint, radici, *εάν μὴ πιστεύσωσι τῇ ἀπιστίᾳ* si non permanserint in infidelitate. Proposuerat Apostolus considerandum tum *χριστιανικῆ* benignitatem erga fideles ethnicos, tum *ἀποτομίαν* excisionem Judæorum incredulorum. Deinde addit, si fideles ethnici non permanserint in benignitate, eos rursus excisum iri: Judæos autem, si non permanserint in incredulitate, rursus insertum iri. Verba sic habent: *ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ* aliqui (nisi in benignitate, hoc est, in fide, permanseris) & tu (fidelis ex ethnicis) excideris. Sed & v. 20. dicit, Judæos per incredulitatem suam defractus esse: fideles ex gentibus autem stare per fidem. Fideles autem hortatur etiam, ne efferantur, sed metuant, & videant, ne & ipsis non parcat. Hic igitur non unum modò nostræ veritatis documentum apparet. Nimirum quòd istam conditionem addit Apostolus, *si manserit in benignitate, in fide*, ex eo intelligi licet, posse id fieri, ut qui in fide sit, & per fidem stet, in hac non maneat sive perseveret, sed eadem rursus excidat. Nisi enim hoc fieri posset, ineptum foret, istam conditionem ponere. Deinde quòd dicit, si fideles in benignitate atque in fide non manserint, futurum ut excidantur, ex eo liquet, fideles quoq;, quamvis non quâ tales, excidi posse. Denique idem illud etiam ex eo patet, quòd hortatur, ne animis efferantur, sed metuant, ac videant, ne & ipsis non parcat. Sunt profectò hæc omnia adeò manifesta, ut mirum sit, inveniri quosdam, qui tam manifestæ veritati non cedant, sed refragari adhuc sustineant.

XXXII. Tantundem porro & illud valet, quòd non tantum fidei, sed & pietatis & bonorum operum conditio promissionibus vitæ æternæ quæ fidelibus factæ sunt; annexa reperitur? quod-

que, si secus quis agat, æterna damnatio denunciatur. Exem-
plum est Roman. cap. VIII. v. 13: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: sed si spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.* Quibus ista scribebat Apostolus, hos *ἐδὲ λαφῆς* fratres vocaverat v. 13. Et fuerunt igitur sine dubio fideles. Quod autem fidelibus istis scribit, si secundum carnem vixerint, eos morituros esse, ex eo liquet, potuisse id utiq; fieri, ut fideles isti secundum carnem, hoc est, impiè viverent, atq; ita morentur ac perirent. Pari ratione, quod mox addit, si spiritu actiones corporis mortificaverint, hoc est, si novis viribus à Spiritu S. suppeditatis à malis operibus abstinerint, victuros eos esse & salvatum iri, id quoq; ostendit, fideles istos posse id quoq; intermittere, hoc est, posse non mortificare actiones corporis, atq; ita nec salvari. Huc etiam pertinet quod I. Cor. III. 16. 17. legitur: *Annon scitis vos templum DEI esse, & Spiritum DEI in vobis habitare? Si quis templum DEI perdit, perdet eum DEUS.* Ex his quoq; manifestè apparet, posse fieri ut qui templum Dei jam sit, & in quo Spiritus Dei habitet, is templum Dei, hoc est, seipsum corrumpat, suâ impietate pura; atq; ut ipsum quoq; Deus perdat, hoc est, damnet, & ad infernum detrudat. Quod vero isti fideles qui actiones corporis non amplius mortificat, & templum Dei perdit, pereundum est, id non est mirum. Nam nec fidem amplius habet talis homo, sed eam prorsus perdidit. Idem quoq; manifestum fit ex eo, quòd utraq; contradictionis pars ponitur ab Apostolo, *Si secundum carnem vixeritis, si actiones corporis mortificaveritis.* Nimirum quia utrumq; ponitur, utrumq; etiam à fidelibus fieri posse intelligendum est. Sic planè & alibi utraq; pars contradictionis visitur. In cap. I. Es. v. 19. 20. hæc sunt: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Hic temporalis modò pœna denunciatur. Illud autem prorsus liquet, potuisse Judæos & velle & non velle, Deum audire & non audire. Quod & antiquissimi Ecclesiæ Doctores ex illis collegerunt. S. Cyprianus lib. III. ad Quirinum, cum probare vellet, *credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam esse*, probandi causâ produxit ipsa illa S. Esaiæ verba. Neq; aliud ex illis colligere potuerunt S. Basiliius & S. Hieronymus, ut ex ipsorum Commentariis in Esaiam videre licet.

XXXIII. Possunt adhuc multa addi, quibus illa quam dixi conditio est expressa: sed nos adhuc pauca modo producemus. Ez. XVIII. 24: *Cum aversus fuerit justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnia justè facta ejus non commemorabuntur: propter pravaricationem ipsius qua pravaricatur, & propter peccatum ipsius quo peccat, propter hæc morietur.* Hic manifeste dicitur, quòd, si justus avertatur à justitia sua, futurum sit, ut omnis ejus pietatis nulla amplius ratio habeatur; adeò quidem ut propter peccata ejus moriendum ipsi, hoc est, pereundum sit. Ex quo annon satis manifestum est, posse justum à justitiâ sua deficere atq; etiam æternum perire? Eum verò qui **קִיָּץ** justus hîc appellatur, non esse alium quam qui veram fidem ac pietatem habet, nemo temere dubitaverit aut inficias iverit. Nimirum, quam frequens est in N. T. vox **πιστός** de eo qui veram fidem ac pietatem habeat usurpata, tam frequens in V. T. est vox **קִיָּץ** de eodem tali usurpata. Imò & in ipso N. T. vox **δικαιόω** non rarò sic usurpatur, ut omnem pietatem & ipsam quoq; fidem comprehendat. Epistola ad Hebræos quoq; manifesta nostræ veritatis documenta suppeditat. Et primò quidem istis verbis quæ sunt in cap. II. 3: *Quomodo nos effugiemus (ἐνδικον μισθοδοσίαν) τηλικούτης ἀμελήσαντες σωτηρίας tantam negligentes salutem quæ primùm per ipsum Dominum predicari cœpit, & deinde in nos confirmata est ab illis, qui ab ipso Domino audiverunt.* Deinde istis quæ sunt in cap. VI. v. 4: *Impossibile est illos qui semel illuminati sunt, & cœleste donum gustaverunt, & participes facti sunt Spiritus S. & bonum gustaverunt Dei verbum, & virtutes futuri mundi, καὶ ὠδὲ πεισόντας & cadentes (sic cadant, desciscant à fide) renovari ad pœnitentiam.* Quid quæso, his queat esse manifestius? Ipsi fideles variè hîc describuntur; quòd illuminati sint, donum cœleste gustaverint, &c. Et de talibus dicitur, si cadant, non posse eos renovari ad pœnitentiam. Ex quo intelligitur, posse utiq; fieri, ut tales cadant. Sed cadere tamen illud, de quo hîc sermo est, non quodvis peccatum denotat, sed illud quod peccatum & blasphemiam in Spiritum sanctum ipsius Scripturæ verbis solemus dicere. Proximis autem istis ex epistolâ ad Hebræos planè parallela sunt, & huc quoq; pertinent, quædam capitis X, & versiculus quidem 26: *ἐκείσιν ἀμερτανόντων ἡμῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς*

*ἀδελφούς, si sponte peccaverimus post acceptam agnitionem veritatis, non
 amplius relinquitur sacrificium pro peccatis. Item v. 29: Quanto majore
 supplicio dignus censebitur ὁ τὸν υἱὸν τῆ θεῆ κατεπατήσας, καὶ τὸ
 αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγοούμενος, ἐν ᾧ ἡγάδη, καὶ τὸ πνεῦμα
 τῆς χάριτος ἐνυβρίσας, qui Filium DEI conculcarit, & sangui-
 nem fœderis quo sanctificatus fuerat, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ
 contumeliâ affecerit. Ex his apparet, posse fieri, ut qui agnitionem
 veritatis jam acceperit, quiq; sanguine Christi sit sanctificatus,
 ultro sive sponte peccet (cum id etiam omittere atq; in agnitâ verita-
 te perseverare, & sanctus manere possit) Filium DEI conculcet,
 sanguinem ejus profanum ducat (ut profano utatur) & Spiritum
 gratiæ contumeliâ afficiat. Quibus horrendis peccatis geminum est
 quod in prædicto cap. VI. v. 6. dicitur, *cadentes & ab agnita veritate
 deficientes ἀναστρέψανταυτοῖς τὸν υἱὸν τῆ θεῆ καὶ τὸ ἁγδαγματῆς ἐοδαὶ*
denuo sibi crucifigere Filium DEI, & ignominia exponere. Quod quid
 aliud est quàm cum quem Deus in fide ac pietate perseverare cupiat,
 fidem & pietatem prorsus amittere? Notandum vel imprimis est illud
 quod dicitur *ἐκ χάριτος ἀμαρτανεῖν* ultro peccare, hoc est, cum aliter fa-
 cere possis, & per Dei gratiam in priore statu manere. Sed & illud
 probè est observandum, quod multò majore supplicio dignum scri-
 bit, qui sic ultro peccet. Nimirum quia gravius peccat is qui verita-
 tem planissimè jam agnovit, & tamen desciscit rursus, gravius etiam
 est plectendus. Non posset autem gravius peccasse censerì, nisi id
 etiam omittere, per divinam quidem gratiam, potuisset.*

XXXIV. Porro nostram sententiam vel præcipuè & ex eo probare
 licet, quòd in S. Scripturâ multa exempla reperimus eorum qui in fide
 & pietate, in qua utiq; fuerant, non perseverarunt. De Galatis
 scribit Apostolus Gal. V. 4. *eos gratiâ excidisse.* Quod quid aliud est
 quam divinum favorem ipsos amisisse. Si verò exciderunt, si amise-
 runt, necesse utiq; est eosdem & habuisse. Gratiam autem non po-
 tuerunt habere, nisi & fidem haberent, hoc est, nisi in Christum cre-
 derent. Quòd igitur gratiâ exciderunt, ex eo intelligitur, nec fidem
 eos habere potuisse. Nugæ sunt quæ ab adversa parte hîc ingeruntur.
 Wendelinus urget, *s. Paulum scripsisse non simpliciter, sed cum condi-
 tione, si per legem velint justificari. Atqui propositionem conditionalem
 nihil affirmare, nisi positâ illa conditione.* Sed ipsa illa conditio ab A-
 postolo

postolo etiam ponitur. Dicit enim, Galatas à Christo separatos esse, utpote qui per legem justificari velint. Verba Græca sic habent: *οἱ τινες ἐν νόμῳ δικαιοῦντο* qui per legem justificamini, hoc est, justificari vultis. Deinde etiam phrasin gratiâ excidere sollicitat, dicitq; eam non idem significare quod à fide justificante deficere; sed doctrinam gratiæ seu Evangelii repudiare. Fatemur, non prorsus idem significare τὸ gratiâ excidere, & τὸ à fide justificante deficere. Sed contendimus tamen, ista duo simul poni & tolli. Qui gratiâ Dei excidit, is nec fidem habere potest, hoc est, non potest credere, se gratiâ & favore Dei adhuc uti. Si verò opinetur quispiam, insigniter idem falleretur. Ceterum ista gratiæ significatio, quam nos hic sequimur, usitatissima sanè est. Quam & hîc obtinere, ipsum quoq; verbum *ἐκπίπτειν*, quod ei additum est, argumento esse potest. Sed videamus plura exempla ejus quod fieri posse nos statuimus. Pertinet huc illud quod Apoc. II. 5. monetur Episcopus Ecclesiæ Ephesinæ, ut memor sit, unde exciderit, & respiscat, & priora opera faciat: quod nisi faciat, fore ut candelabrum ejus loco suo moveatur. Exciderat & ille gratiâ. Et jubetur igitur respiscere, & priora opera facere, hoc est, tam pius & sanctus esse, quam fuerat antea. Porro I. Tim. I. 19. scribit S. Paulus, quosdam *ἀπώσανται τὴν ἀγαθὴν συνείδησιν, καὶ τὴν πίστιν* venavagantibus repulisse à se bonam conscientiam, & circa fidem naufragium fecisse. Quod quid aliud est quam fidem & bonam conscientiam amisisse eos, in fide eos non mansisse, non perseverasse? Quia verò à se repulerunt & abjecerunt, & quia naufragium fecerunt, oportet utiq; ipsam fidem & bonam conscientiam eos quondam habuisse, hoc est, fideles & pios fuisse. Nam quod quis nunquam habuit, id nec dici potest repellere & abjicere: ejus non dici potest naufragium facere. Hoc igitur etsi tam est manifestum, tamen pars ad versa adhuc tergiversatur. Wendelinus dicit, *Apostolum non de fide justificante, sed de assensu modo & professione doctrine Evangelicæ loqui.* Nunquam magis temerè scripsit Auctor iste quam cum ista scripsit. Annon satis perspicuum fecit Apostolus, quid sibi vellet, cum scripsit, circa eam fidem naufragium fecisse quosdam, quam Timotheum jubet habere? *Habens, inquit, fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragium fecerunt.* An putandum est, Apostolum tantum illud velle, ut habeatur assensus; non verò,

verò, ut & fiducia habeatur. Cogitemus autem quàm concinnè verba sint posita. Scribit quosdam repulisse bonam conscientiam, hoc est, pessimè vixisse, ut bonam conscientiam habere nequirent, atque ita circa ipsam quoque fidem naufragium fecisse. Nimirum qui bonam conscientiam non habet, quem suum ipsius cor condemnat, ut est I. Joh. III. (quòd puta impiè vivat) is nec fidem habere potest. Ceterù, quod S. Timotheum hortatur S. Paulus, ut retineat fidem, ex eo quoque intelligitur, posse fieri, ut fides quam quis habeat, non retineatur, sed verò amittatur. Estque proximis istis planè geminum quod Hebr. X. 35. legitur: *μη ἀποβάλητε τὴν πίστιν ἡμῶν ne abjiciatis fiduciam vestram.*

XXXV. Sed nec illud est omittendum, quod in prædicta epist. ad Tim. c. I. v. legitur: *ὢν (καθαρῆς καρδίας, καὶ συνεπίστεως ἀγαθῆς καὶ πίστεως ἀνυποκρίτου) ἀσχοχῶντες ἐξετέλειαν εἰς ματαιολογίαν ἀ quibus (puro corde, bonâ conscientiâ, & fide non simulata) nonnulli ut à scopo aberrantes diverterunt ad vaniloquentiam.* Quòd hic à puro corde, bonâ consc. & fide sincera aberrasse atque ad vaniloquentiam averfisse aliqui dicuntur, ex eo intelligitur, habuisse eos aliquando cor purum, bonam conscientiam ac fidem sinceram; deinde verò eadem amisisse. Est in eadem ep. & tertium quod huc pertinet, & quidem cap. V. v. 12; quòd puta juniores quædam viduæ dicuntur lascivisse contra Christum, & *τὴν πρώτην πίστιν ἠφεικέλαι primam fidem abjecisse, re pudiasse.* Est & quartum, & quidem in cap. VI. v. 10; quòd puta quidam avaritiam appetentes *ἀπεπλανήθησαν ἀπὸ τῆς πίστεως ἀ fide aberrarunt.* Est deniq; & quintum in ejusd. c. v. 24. quòd puta quidam *περὶ τὴν πίστιν ἠσόχησαν circa fidem aberrarunt.* Observavimus jam multas phrasès sacras, quibus ad exponendam eam veritatè quam nunc nos propugnamus, usus est S. Apostolus; nimirum *περὶ τὴν πίστιν ναυαγεῖν, τῆς πίστεως ἢ περὶ τὴν πίστιν ἀσχοχεῖν, τῆς πίστεως ἀποπλανᾶσθαι, τῆς χάριτος ἐκπεσεῖν.* Quæ omnes nihil aliud significant quàm quod Paulus alibi dicit, *ἐν πίστει ἔ μένειν, τῇ πίστει σὺκ ὄπι μένειν in fide non manere:* quas phrasès itidem observavimus supra. Sed sunt etiam multæ aliæ ῥήσεις quibus idem illud quòd superioribus illis, est expressum. Apud Esa. cap. I. v. 2, 4. queritur DEUS
his

his verbis: *Filios educavi: ipsi autem deficientes rebellayerunt in me. Dereliquerunt Jehovaham, irritaverunt Sanctum Israelis, abalienantes sese averterunt retrorsum.* Item Jer. II. 13: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt, &c.* Et v. 27: *Obverterunt mihi cervicem, non faciem.* Sic & Ex. XXXIII. 8: *Recesserunt ab eâ via quam præcepi illis.* Quibus omnibus quid aliud dicitur quàm defuisse quosdam pristinam fidem ac pietatem.

XXXVI. Licet porrò ipsos quòq; Viros nòminare, qui cum in fide essent non manserunt in eâ, sed vel ad tempus fuerunt extra eam, vel cum semel excidissent, nunquam ad eam redierunt: Aaronem puta, Saulum, Davidem, Salomonem, Judam, Thomam, Petrum, Simonem Magum, Hymenæum & Alexandrum. Sed adversarii horum partim fidem justificantem nunquam habuisse contendunt, partim ab eadem non defecisse. Qua de re Wendelinus lib. I. cap. XXXIV. ita: *Etiamsi gravissima fuerint peccata Davidis, Salomonis & Petri: tamen, propterea fidem penitus non amiserunt, sed ad tempus veluti ignem cineribus obruerunt.* Cur autem fidem ipsos penitus non amisisse credamus inter alias hæc sunt rationes. 1. quia non peccarunt pleno voluntatis consensu, sed ex carnis imbecillitate. 2. Quia seriam egerunt pœnitentiam, quæ indicium & fructus est fidei. Mira locutio est quòd dicit quosdam fidem veluti ignem cineribus obruisse. Quid illud est obruere fidem? An idem est quòd facere ut fides non appareat, quemadmodum ignis non apparet, cum est cineribus obrutus. Sed fides, utpote actio interna, videri prorsus nequit. Quamobrem nec occultari sive obrui potest dici. Sed rem ipsam videamus. Dicit ille, Davidem, Petrum, & alios quosdam non penitus amisisse fidem. Ergone partem modò amiserunt? Sed nos contendimus, amisisse eos penitus. Quid, quæso, est fides? Nihil aliud, credo, quàm ipsum rò credere, te propter Christum propitium Deum habere. Ergone David, Petrus & alii credere potuerunt, se propitium Deum habere, cum gravissima peccata in se admitterent? Scimus ex sacris literis, Deum odisse omnem improbitatem: adulteros & homicidas non posse intrare in regnum cœlorum: qui Christum abneget, hunc vicissim abnegatum, hoc est, damnatum iri: qui in carne vivant, hos Deo placere non posse. Ergo necesse est, cum sancti Viri in istæc peccata

cata sunt prolapsi, excidisse eos gratiâ Dei, non habuisse eos propitium Deum, nec potuisse eos rectè credere, se propitium Deum habere. Quòd dicit, non peccasse pleno voluntatis consensu, sed ex imbecillitate, id falsum est. De adulterio Davidis nota res est, quanto molimine ad id deventum fuerit. Primò vidit fœminam è longinquo, atque hinc impudicum amorem traxit. Deinde misit qui eam sumerent, & vel vi adducerent. Cumque jam vitiaffet eam, tantum abfuit, ut desineret peccatum, ut gravius & gravius peccaret, ipsum quidem fœminæ Virum è medio tollendum curando, quo amore fœminæ posset solus uti. Sed & ad ipsum homicidium per ambages itum fuit; ita quidem, ut ad Ducem exercitus scriberetur, isq; juberetur fœminæ maritum in primo agmine collocare, atq; ita discrimini vitæ exponere. Et dicere adhuc sustinebit pars adversa, Davidem non pleno consensu, sed ex imbecillitate peccasse? Quis tandem cum pleno consensu putandus est peccare, si id non fecit David? Quàm insulsum porro illud est quod dicit, Davidem & alios quosdam non defecisse à fide, quia pœnitentiam egerunt! Imò verò quia pœnitentiam egerunt, ipsa fides antea fuit amissa; cum nimirum in se admitterent, propter quod pœnitentiam agere oporteret. Nimirum cum peccato indulgerent, fidem habere non potuerunt, hoc est, non potuerunt credere, se propitium Deum habere, antequam de admissio peccato seriò dolerent, & dolori comitem haberent fidem in Christum. Et, ne quis dubitet, considerentur etiam diserta Scripturæ verba, quæ sunt II. Sam. XI. 27: *Et displicuit Jehove res illa quam fecit David.* Itemq; quòd, ubi Davidis vita commendatur, illa cum Uriâ hujusq; uxore actiones disertè excipiuntur. Vide I. Reg. XV. 5. Sed istud exemplum Viri est, qui fide ita excidit, ut eam tamen recuperarit. Sunt verò etiam exempla Virorum, qui, cum verè pii & fideles essent, postea desierunt esse, nec unquam rursus inceperunt. Saulus verè renatus & fidelis initio erat. Quod tum ex aliis, tum quoque ex eo sciri potest, quòd Spiritus DEI dicitur in ipsum irruisse, quòdque Deus dicitur ipsius cor mutasse, I. Sam. X. 9. 10. Idem autem postea reprobus est factus, & desperabundus sibi ipse mortem conscivit. Quis item de Juda Iscariote dubitet, eum verè renatum aliquando fuisse? Dicitur ille unà cum aliis *πιστευόμενοι εἰς Χριστὸν* credidisse in
Christi-

Christum, Joh. II. II. & VI. 69. 70. Idem tamen gravissimo scelere se obstrinxit. Cujus quidem postea illum penitentia cepit, sed talis illa quæ fidem non haberet *ὀνόμαζον*, quæque non esset qualis debebat, hoc est, secundum Deum.

XXXVII. Sed nunc etiam prædictiones videamus, quæ de amissione fidei & pietatis in sacris reperiuntur. S. Petrus II. ep. c. II. v. I. ita habet: *Erunt in vobis falsi Doctores, qui perditissimas hereses introducent, καὶ τὴν ἀγοράσαντα αὐτῶν δεσπότην ἀρνέμενοι ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχὺν ἀπώλειαν, eum qui ipsos mercatus est Dominum abnegantes, & sibi ipsis celerem perniciem attrahentes.* Item S. Paulus in Act. c. XX. 30. prædicens inducitur his verbis: *Scio ex vobis exorituros, qui loquamur perversa, ut discipulos post se trahant.* Ipse verò I. Tim. IV. I. sic scripsit: *Spiritus disertè dicit, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονται πῆρες ἡ πίστεως, fore ut in postremis temporibus quidam desciscant à fide, attendentes spiritibus seductoribus.* Illud *ἀποστήσονται ἡ πίστεως* quid aliud est quàm fidem non retinere, in fide non perseverare? Quia autem futurum dicit, ut quidam desciscant, facile intelligitur, posse id utique fieri. Sed in talibus pars adversa intelligit non talem fidem quæ Spiritus S. in nobis motus sit, quaque justificemur; sed vel assensum, vel doctrinam Evangelii. Neq; sanè nos negabimus, vocem *πίστις* quandoque ipsam doctrinam fidei significare. Hujus enim exempla reperiuntur Actor. VI. 17. Rom. I. & 5. & alibi. Sed si maximè & hìc illud significet, non minùs tamen efficiemus nos quod volumus. Nimirum qui à doctrina desciscunt, eos oportet doctrinam istam tenuisse, & doctrinæ illi convenienter se gessisse. Nisi enim hoc fuisset, non possent dici à doctrina descivisse. Huc etiam referamus illud quod S. Paulus scribit, *se metuere ne à fide desciscant nonnulli.* Verba ejus sunt II. Cor. XI. 2. *Aptavi vos, quos uni virginem puram sistam, nempe Christo. Sed metuo ne quomodo, sicut serpens ille Evam seduxit calliditate sua, ita corrumpantur cogitationes vestræ ab ista simplicitate quæ est in Christo.* Illud corrumpi cogitationes quorundam à simplicitate quæ est in Christo, innuit utiq; eorundè cogitationes ante corruptionem istam fuisse alias, & tales quidem quæ cum simplicitate quæ est in Christo, congruerent, hoc est, cum ipsa fide. Ceterum nec illud est omittendum, sed vel in primà acie ponendum fuisset, quòd ipse Salvator pronunciavit, ita fieri solere, ut quidam ad tempus modò credant, postea verò desinant.

Verba sunt Luc. VIII. 13: *Qui super petra, sunt illi qui cum audiunt, cum gaudio suscipiunt verbum.* Illi autem radicem non habent *οὐκ ἔχουσιν ῥίζαν* *καὶ ὡς καρπὸς περιεχομῆς ἀφίστανται* qui ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt. Hic manifeste dicitur, quosdam ad tempus modò credere, postea verò abscedere. Sed illud credere non intelligit pars aduersa de tali fide quæ iustificet & saluet, de fiducia quæ meritum Christi amplectatur; sed *de assensu tantum generali*, ut loquuntur, seu *professione fidei externâ*. Vide Wendelinum lib. I. cap. XXIV. Quid est professio fidei externâ? An idem quod dicere, te fidem habere, cum tamen non habeas? Ergo *ἀφίστανται* abscedere ab ista professione, nihil amplius erit quàm non amplius dicere, te fidem habere, cum eam non habeas. Hæccine igitur tanti momenti res est, ut Salvator eam proponere voluerit considerandam; quosdam, cum antea professi essent, se fidem habere, cum tamen non haberent, ab ista professione desistere, hoc est, desinere eos falsum dicere & mentiri? Ineptus sit qui hoc credat. Sed, quid assensus iste generalis sibi velit, id quoque excutiamus. Qui assentitur, is aliquid verum esse credit utiq;. Quid autem assensu isto generali dicemus credi? An universales istas propositiones, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur. Qui in Filium credit, non iudicatur.* Si quis igitur has modò propositiones credat veras esse, non temerè usu venerit, ut non & ipse credere cupiat in Christum, & salutem expetat. Sed in verbis Christi vel præcipue & illud est observandum, quod eosdem quos abscedere & deficere dicit, *καρπὸς cum gaudio* dicit verbum suscepisse. Quod quid aliud est quàm veram fiduciam in Christum ipsos cepisse ex verbo? Qui cum gaudio suscipit aliquid, is utique illud cupit & expetit. Et qui verbum Dei cum gaudio excipit, is verbo utique gaudet; & magis ipso illo quod verbo significatur, hoc est, remissione peccatorum, reconciliatione cum Deo, ipsiusque vitæ æternæ hereditate. Hoc autem à vera fide & fiduciâ qua homo iustificatur, nihil quicquam discrepat.

XXXVIII. Atq; ita satis & abunde apparuit, quomodo duplicem istam veritatem quam initio harum chartarum proposuimus, ex sacris literis demonstrare liceat. Non autem putandum est, veritatem illam nostris demum temporibus in sacris literis animadversam atque observatam esse. Quinimo, nisi jam olim, atque inde ab initio Ecclesiæ semper ita habitum

habitum ac creditum fuisset, nos temeritatis cujusdam atque insolentiae
 possemus postulari; quod videlicet post tot seculorum decursum in-
 faeris literis quippiam ad fidem & ad mores pertinens nos observasse
 putaremus, quod ante haec tempora observatum non esset. Sed nos
 profecto minimè sic animati sumus, ut ullam doctrinam fidei quæ no-
 va sit, & nuper demum exorta, veram putemus. Et jam supra facti su-
 mus cum B. Chemnitio, *nos ab illis dissentire qui fingunt opiniones quæ nul-
 la habent testimonia ullius temporis in Ecclesiâ: contra verò cum eodem sic
 sentire, nullum dogma in Ecclesiâ novum & cum totâ antiquitate pugnans re-
 cipiendum esse.* Ne autem nostram doctrinam novam & nuper de-
 mum ex sacris literis erutam putare quisquam possit, age testimonia &
 consensum producamus præstantissimorum Ecclesiæ Doctorum, qui
 proximis post scriptas sacras literas seculis floruerunt, suamque fidem
 etiam in literas retulerunt. Quorum antiquissimus est Clemens Ro-
 manus, qui ipsis Apostolis *ὁ ἄρχων* fuit, cujusque epistola ad Co-
 rinthios, tum diulatuisset, ac prorsus periisse credita esset, ex tenebris
 eruta & in lucem edita est à Cl. Viro, Patritio Junio. Hujus epistolæ p. 10.
 legimus hæc: *Sanguinem Christi intentu oculis intueamur, & quam pre-
 tiosus Deo sit ejus sanguis, consideremus, qui propter nostram salutem effusus
 παντὶ τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπὲρ νεκρῶν* toti mundo pœnitentiæ gra-
 tiam obtulit. Dicit Clemens, Deum toti mundo pœnitentiæ gratiam
 obtulisse. Non autem totum mundum, sed aliquos modo pœ-
 nitentiam agere, idem Clemens non potuit nescire. Quòd
 igitur toti mundo pœnitentiæ gratia offertur, pauci autem pœ-
 nitentiam agunt, ex eo intelligi datur, cupere quidem Deum ut omnes
 pœnitentiam agant, atq; ut agere possint, paratum quoq; esse efficere:
 quòd autem maxima pars pœnitentiam non agit, id propriâ ipsorum
 culpâ fieri. Quòd verò idem ille Clemens etiam hoc statuerit, eum
 qui in verâ fide jam sit, posse ab eâ deficere, nec in ea perseverare, id
 tum ex aliis tum ex his ipsius verbis intelligi potest, quæ p. 45. leguntur:
*ἡμῶν ἐν ἀγωνισώμεθα ἐυπεθῆναι ἐν τῷ ἀελθῶ τῶν ὑπενόητων
 αὐτῶν, Nos igitur contendamus ut in numero eorum qui ipsum expectant, re-
 periamur, ut promissorum donorum participes fiamus. Quomodo autem hoc
 fiet, dilecti, εἰάν ἐσνευγμένη ἢ ἡ διάνοια ἡμῶν πίστεως (ισ. Δὲ πίστεως)
 πῶς τὴν θεὸν σφιδεῖν in Deum cogitationes nostræ stabilitæ fuerint: si grata
 illi &*

illi & accepta diligenter quaesiverimus, si quæ ad inculpata[m] ejus voluntatem pertinent, fecerimus. Hortatur ille Corinthios, ut contendant esse inter illos qui Deum expectant. Ex quo intelligitur, posse etiam illos id omittere. Si verò omittant, fides ac pietas illico evanescit. Deinde conditionem ponit hoc modo, *Si cogitationes nostræ fide stabilitæ fuerint.* Quæ conditio itidem satis indicat, posse fieri ut fideles conditionem non impleant, aut implere non pergant. Pagina 30. in eadem sententiam hæc leguntur: *δικαιον ἔν ἐσὶ μὴ λειπτακίσειν ἡμᾶς ἀπὸ τῆς θελήματός αὐτοῦ, æquum est, ut ei obtemperemus, neq[ue] ordinem voluntatis ejus tanquã transfuga deseramus.* Elegans vox est τὸ λειπτακίσειν ordinem deserere: estq[ue] à militia huc traducta. Significat autem illa, posse id fieri, ut qui ordinem rite servarit, postea eum deserat, atq[ue] à fide deficiat.

XXXIX. Veniamus ad alios. Clementis ætati suppar fuit S. Ignatius. Ejus aliquot epistolæ hodieq[ue] extant. Et, cum antehac non nisi interpolatas legere liceret, fecit non ita pridem Vir Cl. Is. Vossius, ut nunc etiam genuinas possimus legere. In interpolatâ ad Magnesios sunt sanè egregia quæ huc pertinent: quibus & alii sunt usi. Sed nos illa non afferemus, quòd in sincera ad Magnesios non reperiantur. Adducemus modò unum locum ex genuina ad S. Polycarpum: *ἀρέσκειτε τῷ στρατεύεσθε, ἀφ' ἧ καὶ τὰ ὀψωνία κομίζεσθε, μή τις ὑμῶν δεσέρτω εὐρεθῆ.* *Placete illi cui militatis: à quo & stipendia fertis, nequis defertor sive transfuga inveniatur.* Baptisma vestrum maneat ut scutum: fides ut galea: charitas ut lancea: patientia ut omnis armatura. Hortatur ille, ut ita militetur, nequis defertor fiat ex illis quibus S. Polycarpus præerat. Ergo intelligi datur, posse fieri ut ordinem quispiam deserat. Utitur verò ipso Latino vocabulo in sermone Græco. Nimirum per Romanorum imperium ac dominationem istis temporibus factum fuerat, ut multa vocabula Latina in Græcum sermonem irrepissent. Cujus rei & in sacris literis exempla habemus non pauca. Etiam Ignatius noster in eadem illa ep. ad Polycarpum sic habet: *τὰ δεπόσιτα ὑμῶν τὰ ἔργα ὑμῶν, ἵνα τὰ ἀκκεπία ὑμῶν ἄξια κομίζησθε.* *Deposita vestra, sunt opera, ut accepta vestra digna feratis.* Porrò S. Polycarpi, ad quem S. Ignatius scripsit, extat epistola ad Philadelphenses: quam & Vir Cl. Jacobus Usserius unâ cum Ignatii epistolis edidit. In hac

In hacigitur itidem talia sunt quæ S. Polycarpum nobis ὁμόψηφον ostendant: Et nos resuscitabit (Deus ad vitam) εἰάν ποιωμεν αὐτῶ τὸ θελημα si fecerimus voluntatem ejus, & ambulaverimus in mandatis ipsius, & dilexerimus quæ ipse dilexit, abstinentes ab omni injuria &c. Sic & paulo post: ὡς εἰάν ευαγγελισωμεν ἐν τῷ νῦν αἰωνι, ἀποληψόμεθα καὶ τὰ μέλλοντα, cui si complacuerimus in hoc mundo, accipiemus ea quæ futura sunt. Quod ille condiciones ponit, si vitam æternam velimus consequi, ex eo intelligitur, si illas condiciones non impleamus, non consecuturos nos vitam æternam: & illud item, posse fieri ut non impleamus, atq; ita ipsâ æternâ vitâ excidamus.

XL. Antiquissimos illos, quos veritatis testes nunc fecimus, sequitur Justinus, primo Philosophus, deinde & Christianus, atq; etiam martyrio coronatus. Hic in Apologia ad Antoninum sic habet: Εἰ εἰμαρται, τίνδε πνα ἀγαθὸν εἶναι, καὶ τίνδε φαῦλον, οὐδ' ἔτι ἀποδεκτὸς, ἔδ' ἐκείνῳ μεμπέῳ, Si fatale sit, hunc quidem bonum, illum verò malum esse: neq; ille fuerit probandus, neq; hic reprehendendus. Ac, nisi arbitrio libero & ad turpia fugienda, & ad honesta eligenda facultatem habeat mortalium genus, non fuerit in causa sive culpa qualiumcunq; demum factorum. Deinde etiam demonstrationem suæ sententiæ subjicit, his quidem verbis: *Hominem eundem ad contraria subinde transire videmus. Quod si fato destinatum est eum vel malum vel bonum esse, non unquam contrariorum capax esset, nec toties mutaretur. Sed neq; alii quidem essent boni, alii autem mali. Et fatum ita malorum causam esse, atq; sibi ipsi contraria facere statueremus, &c.* Subjicit quoq; deinde ipsius Scripturæ vestra. Sed & in Apologiâ ad Senatum scribit, reprobari à Christianis Stoicorum dogma, quo omnia dicantur fato fieri: & eodem quoq; utitur argumento, quo usus est in Apol. ad Antoninum; quod nim. nihil esset laude dignû, nisi in homine esset liberû arbitrium. Causam verò quæ facit, ut homines sint boni, non mox quidem addit ille, divinam gratiam puta: nobis tamen nunc sufficit, quod non statuit, qui boni sunt, eos fato quodam & necessario bonos esse, nec omnino posse aliter fieri; sed esse illud inter contingentia numerandum.

XLI. Nec alia mens fuit S. Irenæi, cujus in lib. IV. adv. hæc c. LXXI. verba, sed ex Græco versa, ita habent: *Aliud autem quod ait, quotiens*

Quotiens volui congregare filios tuos, & noluiſti, veterem legem libertatis hominis manifeſtavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem ſuam poteſtatem; ſicut & ſuam animam, ad utendum ſententiâ Dei voluntariè & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit, ſed bona ſententiâ adest ei ſemper. Et propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus. Poſuit autem in homine poteſtatem electionis, quemadmodum & in Angelis. Item cap. LXXII: ſi naturaliter (Φύσει) quidam boni, quidam verò mali facti fuiſſent, neq; laudabiles eſſent, quia boni ſunt: tales enim facti fuerant. Sed neq; illi vituperabiles: & ipſi enim tales fuerant inſtituti. Sed quoniam omnes ſunt ejusdem naturæ & potentes retinere & operari bonum, & potentes ruruſus amittere id & non facere, juſtè etiam apud homines ſenſatos, quanto magis apud Deum, alii quidem laudantur, & dignum percipiunt teſtimonium electionis bonæ & perfeverantiæ: alii verò accuſantur & dignum percipiunt damnum, eò quòd juſtum & bonum reprobaverint. Et ideo propheta hortabantur homines juſtitiam agere, bonum quoq; operari, ſicut per multa oſtendimus, quia in nobis (ἐφ' ἡμῶν) ſit hoc, & propter multam negligentiam in oblivione: inciderimus, & conſilio egeamus bono, propter quòd bonus Deus præſtabit bonum conſilium perfectuſ. Cum deinde multas exhortationes ſacras ſubjeciſſet, hæc addit: Et omnia talia quæ liberum & ſuæ poteſtatis (ἐωντὸς ἐξουσίας) oſtendunt hominem, & quia conſilium inſtruat Deus, adhortans nos ad ſubjectionem ſibi, avertens ab incredulitate, non tamen de violentia cogens. Urget ille eadem verba Chriſti, quæ & nos ſuprà urgebamus, Quoties volui vos congregare. Deinde & eodem argumento utitur, quò uſus eſt Juſtinus Martyr. Deniq; & cohortationes Prophetarum urget, quòd hæc inutiles & ſupervacuæ forent, niſi & aliter homo agere poſſet, quàm iſtis cohortationibus ſvadetur. Habet verò etiam idem Irenæus in cap. LXXVI. ejusdem quarti libri egregia quædam, ex quibus eandem mentem fatiſ colligere licet. Deus miſit, inquit, qui vocarent ad nuptias: qui autem non obedierunt ei, ſemet ipſos privaverunt regiâ cænâ. Sed ille qui non confequitur eam, ſibi ſemet ſuæ imperfectionis eſt cauſa. Nec enim lumen deficit propter eos qui ſemet ipſos excæcaverunt. Sed illo perfeverante, quale & eſt, excæcati per ſuam culpam, in caligine conſtituuntur: neq; lumen ejus magna neceſſitate ſubjiciet ſibi quemquam; neq; Deus cogit eum qui nolit continere ejus artem. Qui igitur abſtiterunt à paterno lumine, & transgreſſi ſunt legem libertatis, per ſuam abſtiterunt culpam liberi arbitrii & ſuæ poteſtatis facti. Deus autem

autem omnia præsciens utrisq; aptas præparavit habitationes: His quicquid clarius esse possit? Dicit ille, homines semetipfos per libertatem arbitrii privare regiâ cœnâ; sibi met suæ imperfectionis esse causam: per suam culpam in caligine constitui: lumen non subdicere sibi homines cum magnâ necessitate, & id genus alia.

XLII. Porro & Tertullianus manifestè scripsit in eandem sententiam. Et lib. II. quidem c. Marcionem, c. V: *Liberum & sui arbitrii & suæ potestatis invenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam. Hunc statum etiam confirmavit ipsa lex tunc à Deo posita.* Hæc de statu hominum ante lapsum. Sequitur de statu post lapsum: *Sic & in posteris legibus creatoris invenias proponentis ante hominem bonum & malum, vitam & mortem: sed nec aliâs totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum avocante Deo & minante, exhortanteve, nisi & ad obsequium & ad contemptum libero & voluntario homine.* Scribit hic, totum ordinem disciplinæ per præcepta esse dispositum: idque non fuisse factum, nisi homo ad obsequium & ad contemptum liber esset.

XLIII. Hunc verò Magistrum secutus Cyprianus lib. III. ad Quir. test. 52. ita habet: *Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam in Deuteronomio: Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: elige vitam tibi ut vivas.* Item apud Esaiam: *Et si volueritis & audieritis me, bona terra ederis. Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos consumet.* Item epistolâ LV. ex collocatione Pamelii, quæ ad Cornelium est scripta, hæc habet: *Nec præpositum servum* (qualis erat Cornelius) *deseri à quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia summa facientem, & virtutes DEI patris factorum suorum testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos suos dixit: Nunquid & vos vultis ire: servans scilicet legem, quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibi met ipse vel mortem appetit, vel salutem.* Dicit hic, S. Apostolos quoque fuisse libertati suæ relictos, & in arbitrio proprio constitutos: potuisse sibi met ipsos vel mortem appetere vel salutem. Et in prioribus, credendi vel non credendi libertatem in arbitrio esse positam.

XLIV. Clemens quoque Alexandrinus non semel scripsit in eandem sententiam. Et lib. II. *σπῳστῶν* quidem, nos per scripturas accepisse,

G

Τῆν

τὴν αἴρεσιν καὶ φυγὴν δεδότης τοῖς ἀνθρώποις ἀποκατακλήν,
datam esse hominibus tum electionem, tum fugam. Item in lib. V. esse in
nobis τὸ αὐτεξέσιον liberum; arbitrium: idem tamen ἔχειται
αὐτοῦ τῆς ἐξαιρέτης πειρασθῆ καὶ ἀνίστασθαι non sine excellenti gratiā sub-
volare & exsurgere.

XLV. Porro & Origenes libro III. περὶ ἀρχῶν longiusculam hac
de re dissertationem instituit. Hanc verò excerpserunt & caput XX.
Philocaliæ fecerunt divi Patres Basilius Magnus & Gregorius Theolo-
gus. Ipsum opus anno hujus seculi XIX. edidit, & Latinâ versione,
notisq; instruxit Vir Cl. Jo. Tarinus. Quædam Origenis verba sic habent:
ὅτι δὲ ἔργον ἡμέτερον τὸ βιώσαι καλῶς ἐστὶ, καὶ αὐτὴ ἡμᾶς τῷ ὁ
θεοῦ, ὡς οὐκ αὐτὸ ὄν, ἐδὲ ἐξ ἑτέρου πινὸς ὡραζινοῦμεν. ἢ ὡς οἰονταῖ
πινες δὸτὸ εἰμαρμένης, ἀλλ' ἢ ὡς ἡμέτερον ἔργον μαρτυρήσει ὁ παρ-
φῆτης Μιχαίας λέγων. εἰ ἀνήγγελε σοὶ ἄνθρωπε, τί καλὸν ἢ τί κύ-
ριον ἐκζητᾷ ὡραῖ σε, ἀλλ' ἢ τὸ ποιῆν κρίμα καὶ ἀγαπᾶν ἔλεος;
καὶ Μωσῆς. τέθεικα πρὸς προσώπῳ σε τὴν ὁδὸν τῆς ζωῆς, καὶ τὴν
ὁδὸν τῆς θανάτου, ἐπέλεξα σοὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ πρηνέου ἐν αὐτῷ.

Nostrum porro munus & officium esse honestè vivere: idq; à nobis non quasi
suum, neq; ab iis que extrinsecus adveniunt, vel, ut quidam putant, à fato, sed
ut nostrum opus & officium, Deum postulare, testatum dabit propheta Mi-
chas, dicens, Quid tibi homo indicatum est, aut quid Dominus à te postulat?
Annon facere judicium & diligere misericordiam. Et Moses, Posui ante con-
spectum tuum viam vitæ & viam mortis, ut eligas bonum & incedas in eo. Ita
quidem vertit Tarinus. Nos verò verba Michæ malimus sic vertere: An
indicatum tibi est, homo, quid bonum sit, & quid Dominus à te postulet, nisi fa-
cere jud. & diligere misericordiam? Ut sensus sit, An dictum est quicquam
esse bonum, & Dominum à te quicq; postulare, nisi ut facias judicium
& diligas misericordiam? Vocula ἢ interrogandi hîc vim habet, ut
& in Nov. Test. non raro. In Hebræo autem textu nihil quidem est
quod ei respondeat: sed tota tamen Prophetæ oratio Interpretibus vi-
sa est vim interrogandi habere; credo, quòd in medio ejus reperirentur
voculæ **וְ** nisi, quibus Græcæ ἀλλ' ἢ exactè respondent. Ce-
terum quid Origenes sibi velit, id satis apparet. Dicit τὸ βιώσαι κα-
λῶς

*λῶς εἶναι ἡμέτερον ἔργον, bene vivere esse nostrum opus; non quòd ad illud gratia Spiritus S. non requiratur, sed quòd positâ gratiâ possit tamen à nobis vel fieri vel omitti. Dicit item, non esse illud ἀπο ἐμαρμένης à fato; quòd aliter fieri prorsus nequeat, quodque οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν, ut Philosophus loqui amat. Cum verò ad probandum illud locum Michæ, itemque locum Mosis ex Deuteronomio produxisset, subjicit deinde multa quoque alia. Citat quidem & illud Es. I: *si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: sin autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos devorabit.* Item illud ex Psal. LXXX: *si populus meus audisset me, & in viis meis ambulasset, ad nihilum hostes eorum depressissent.* Deinde de suo rursus hæc subjicit: ὡς ἵπτι τῷ λαῷ ὄντι τῆ ἀκείει καὶ παρέυεθῃ τοῖς ὁδοῖς τῆ θεῆ. Nimirum penes populum erat, ut auscultaret DEO, & in viis ejus ambularet. Cum item verba Salvatoris quæ Matth. V. leguntur, Ego autem dico vobis, Ne resistatis malo: & Quicumque iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio: & Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum, jam adulteravit eam in corde suo; cum, inquam, & illa citasset, subdit deinde: καὶ εἴ τινα ἄλλην δίδωσιν ἐν πλῆν ὡς ἐφ' ἡμῖν ὄντι & Φυλάξω τὰ πρῶτα γράμματα, φησί. καὶ ἐλόγως ἐνόχων ἡμῶν τῇ κρίσει ἐσομένων, εἰ ὁδοβαίνοι μὲν αὐτῶ. Et cetera quæcumq; dat mandata, ita dat quasi nobis ea servare sit integrum, ut jure rei judicio futuri simus, si ea perfringamus. Sequuntur deinde multa quoque alia in eandem sententiam.*

XLVI. Quoniam S. Basilius & S. Gregorius ista Origenis excerpterunt, & Philocaliæ fecerunt partem aliquam, facillè intelligitur, eadem iisdem & probata fuisse. Possemus autem & ex ipsorum scriptis proferre, quæ ab illis Origenis minimè discrepent: sed id nunc facere superse-
 demus, & progredimur potiùs ad alios S. Hilarius quoq; minimè à nobis discrepat. Is n. ad verba Ps. Mandata tua elegi, sic commentatus est: *Aliis gloriâ seculi eligentibus, aliis venerationem elementorum ac dæmonum capessentibus, aliis terrenas opes expetentibus: sanctus iste (David) mandata DEI elegit. Elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis; quia unicuiq; ad id quod vult, ita est proposita vivendi, & appetendi atq; fugiendi permessa libertas. Atq; ob id uniuscujusq; aut pœna aut præmiis afficietur*
G 2
electio.

lectio. Item ad verba Psal. II. Tunc loquetur ad eos in ira sua: *Sed qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine sua non sine ratione ac modo usus est. Nam unicuique nostrum libertatem vitæ sensusque permittit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque, ex natura bonum malumve esse lex cogeret: sed qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris ac præmii bonitatis necessitas mereatur, cum malos non esse vis quedam nobis conferta non sineret? Ecce, quam liquido pro nobis Vir sanctus scripsit! unicuique appetendi & agendi permissam esse libertatem: unicuique libertatem vitæ sensusque esse permissam: non necessitatem in alterutrum affixam: non esse nobis confertam vim quandam, quæ malos nos esse non sinat.*

XLVII. Veniamus ad Ambrosium, & hujus quoque mentem cognoscamus. In Enarratione octonarii VIII. Psal. CXVIII. hæc habet: *Mythicus Sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, omnibus resurrexit. Ideo autem passus, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo Sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit. Ex his apparet, posse se hominem generali beneficio fraudare: posse communis gratiam lucis à se excludere. Quod quid aliud est, quam quod nos diximus, hominem posse divinam gratiam negligere ac repudiare? In libro II. de Cain & Abel, cap. III. sunt quoque egregia in hanc sententiam: *Ideo omnibus opem sanitatis detulit, ut quicumque perierit, mortis suæ causas sibi ascribat, qui curari noluit, cum remedium haberet quo posset evadere. Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia, eod quod ii qui pereunt, suam peccant negligentiam: qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Ecce, potest fieri ut homo qui remedium habeat quo curari possit, curari tamen nolit, hoc est, ut nos loquebamur, ut qui converti possit, non tamen convertatur.**

XLVIII. Porro & S. Hieronymum, ut nobis *ὁμᾶ Φησὶν* laudare licet. Scribit is lib. II. adv. Jovin. c. 2. ita: *Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est. Utitur ille eodem argumento, quo Justinum*

num

num Martyrem & Irenæum usos supra vidimus. Et hoc facit ille, qui contra Pelagium tam acriter depugnavit, & quam necessaria ad conversionem sit divina gratia, egregie demonstravit. In ipso quoque libro quem adv. Pelagium ad Cresiphontem scripsit, hæc habet: *Frustra blasphemias & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem: & non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget.* Sunt & in Commentario in cap. I. Es. quæ huc pertinent. Nimirum, ad illa verba, Si volueritis & audieritis me, sic commentatur: *Liberum servat arbitrium: ut in utramque partem non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna vel premium sit.* Idem ex iisdem verbis & S. Cyprianum collegisse, supra vidimus.

XLIX. S. Jo. Chrysoſtomus quoque eandem doctrinam quam nunc nos defendimus, satis aperte in scriptis suis tradidit. Nimirum in Hom. VII. ad cap. I. Joh. sic commentatus est: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quo pacto tot homines sine lumine permanent? Neque enim omnes Christum cognoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? τότε εἰς αὐτὸν ἦγον. Εἰ δὲ πνεῖς ἐκόντες τῆς τῆς διανοίας ὀφθαλμοὺς μύσαντες οὐκ ἠθέλησαν παραδέξασθαι τὴν φωτὸς τῆς τῆς ἀκτῖνας, οὐ παρὰ τὴν τῆς φωτὸς φύσιν ἢ σκοτώσεις ἐκείνοις ἀλλὰ παρὰ τὴν κακουργίαν τῶν ἐκόντι ἀπιστεροῦντων ἑαυτὸς τῆς δόξης, si qui verò sponte sua oculos mentis claudentes, lucis radios recipere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris manent, sed per malitiam eorum qui sponte se hoc donoprivant.* Annon ex his satis apparet, S. Chrysoſtomum sic prorsus sensisse, ut nos sentimus; posse fieri ut, quos Deus illuminatos & conversos cupiat, non tamen illuminentur ac convertantur? Sed videamus quoque, quomodo idem S. Pater ad cap. VI. Joh. & quidem ad illa verba, Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum, differuerit. Primo dicit Manichæus istis verbis abuti ad negandum liberum arbitrium. Deinde verò subjicit: *Sed dicat aliquis, si quis venit ad eum, quid opus est tractione? ὁ καὶ αὐτὸ ἐπὶ ἡμῶν ἀναρῆσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον ἐμφάνει ἡμᾶς βοηθείας δεομένους. ὅτι δεικνυσιν ἐνθαῦτα ἐπὶ τὸν τυχόντι ἐρχόμενον, ἀλλὰ τὸν πλῆθὸς ἀπολάουσα συμμαχίας.* Quod ipsum quoque non tollit libertatem arbitrii, sed potius ostendit

ostendit, nos divino indigere auxilio, quoniam hic ostendit, non qualemcumq;
venire, sed multo auxilio fruentem.

L. Auctor de vocatione gentium, perdoctus sanè, qui olim inter
S. Ambrosii opera recensebatur, rectius verò deinde D. Prosperi videtur
creditus esse, multa quoq; habet quæ huc pertinent. Libro I. cap. I. scri-
bit, *quorundam non sanam discretionem esse, existimentium quòd prædica-
tione gratiæ liberum negetur arbitrium.* Deinde lib. III. c. 26 scribit,
gratiam se ita credere potentem esse ut nullo modo arbitretur esse violentam.
Præcipue etiam hîc legi merentur capituli XXVIII. nonnulla: *Sic-
cut qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant, sic & qui nondum credide-
runt, juvantur ut credant. Et quemadmodum illi in suâ habent potestate,
ut exeant, ita & isti in suâ habent potestate, ne veniant. Fitq; manifestum,
quòd diversis atq; innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri: sed
qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, suâ pertinaciâ relu-
ctantur.* Ecce dicit iste, qui juvantur ut credant, eos habere in suâ pote-
state ne veniant: qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctari. Sed & initio
ejusdem cap. idem Auctor perquam manifestè nobiscum facit. Verba
sic habent: *Qui ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam à per-
severaturis illam mutabilitatem quæ potest nolle, non auferat. Alioquin ne-
mo unquam fidelium recessisset à fide, neminem concupiscentia vinceret, ne-
minem tristitia elideret, neminem iracundiâ debellaret, nullius charitas re-
frigeret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo ne-
gligeret.* In responsionibus ad capitula Gallorum, quæ sine dubio sunt
D. Prosperi, & quidem ad cap. VI. satis manifestè quoq; scriptum est
in nostram sententiam. Objectio Gallorum habuit ita: *Quod libe-
rum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum sive ad malum prædesti-
natio Dei in hominibus operetur.* Ad hanc autem D. Prosper sic respon-
det: *Liberum arbitrium nihil esse, vel non esse, perperam dicitur. sed
ante illuminationem fidei in tenebris illud & in umbrâ mortis agere, non re-
ctè negatur.* Et paucis interjectis: *Prædestinationem autem Dei, sive
ad bonum, sive ad malum, in hominibus operari, ineptissimè dicitur, ut ad
utrumq; homines quædam necessitas videatur impellere: cum in bonis volun-
tas sit intelligenda de gratiâ, in malis autem voluntas intelligenda sine gra-
tiâ.*

LI. Auctor Hypomnesticōv, qui inter opera Augustini, & quidem
tomo septimo recensetur, scribit & ipse in nostram sententiam. Et
libro

libro II. quidem hæc habet: *Nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratiâ.* Item: *Liberum arbitrium quisquis negaverit, catholicus non est.* Auctor responsionis ad art. sibi falso impositos, qui & ipse inter opera Augustini est: *Quod si per generalitatem vocationis & per abundantiam bonitatis Dei, etiam non perseveraturi perseveraturis admixti sunt, hi cum à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex suâ voluntate deficiunt, nec impelluntur ut cadant, nec ejiciuntur ut deserant.* Casuritam enim & recessuri ab eo qui falli non potest, præsciuntur. Et mox: *Hæc enim ipsorum nequitia (quod cadunt & ruunt) ipsorum est consummatura (f. consummata) libertas.* Hæc ad artic. XVI. Sed & ad art. XV. respondet quæ egregie hunc pertinent.

LII. Gennadius Massiliensis de dogmatibus eccl. c. XXI. de nostro dogmate hæc habet: *Initium salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescere amicus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris: ut non labamur in adepta salutis munere, sollicitudinis nostræ est & ignaviæ.* Et paulo antè: *Postquam seductione serpentis per Evam cecidit, natura bonum perdidit; pariter & vigorem arbitrii: non tamen electionem, ne non eset suum quod evitaret peccatum, nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset.* Manet itaq; ad querendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur: vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei. Exscripsit ferè omnia ista, ut & multa alia, Auctor de Spir. & an. qui in tertium tomum operum Augustini est relatus, capite XLVIII. Sed pro emendaret rescribendum ibi videtur evitaret. Quanquam & S. Bernhardus cap. LXVIII. de interiori domo, ubi eadem ferè verba excerpta reperiuntur, ita habet: *Ne non esset nostrum, ut emendaremus peccatum.* Ceterum non ibi tantum, sed & alibi Vir religiosissimus scripsit quæ propria congrua sunt nostris. Nimirum in lib. de gratia & lib. arb. hæc habet: *Est verò ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quod minus pro arbitrio sese voveret; sive in malum, consentiens appetitui: sive in bonum sequens gratiam.* Si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas jam non esset. Ubi quippe necessitas, jam non voluntas. Quia si ex necessitate, & absq; consensu propriae voluntatis mala bene fieri

ve fieri possent: rationalis creatura aut misera profectò nulla ratione esse deberet, aut beata penitus esse non posset. Cui nimirum in utraque parte id esset, quod solum in ea miseria sive beatitudinis capax est, id est, voluntas.

L III. Sed quid de S. Augustino dicemus? An & ille nobiscum non discrepare putandus est? Sanè Augustinus is est qui non gratiam tantum, sed & liberum arbitrium acriter defendit. Libro IV. c. Julianum, c. 8. Multò minùs dicerem quod me dixisse mentiris, negari liberum arbitrium, si gratia commendetur: & negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium. Afferuerat Julianus, homo Pelagianus, Augustinum in aliquo libro scripsisse, negari gratiam, si lib. commendetur arbitrium: & rursus negari liberum arbitrium si, commendetur gratia. Sed hoc Augustinus se dixisse aut scripsisse negat. Contendit autem sua verba modo sic habuisse: *Ista questio ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratiâ disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Contendit item, se istis suis verbis non negasse gratiam, sed dixisse, eam negari modo videri, si liberum arbitrium defendatur: neq; negasse liberum arbitrium, sed dixisse, id negari modo videri, si defendatur gratia. Vult autem revera idem Augustinus, gratiam & liberum arbitrium posse simul consistere, & simul quoq; esse defendenda. Inquam sententiam disertè quoq; scribit lib. II. de pecc. meritis & remis. c. 18: *Ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur.* Item ep. XLV. ad Valentinum: *Si non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? Proinde librum vel epistolam meam secundum hanc fidem intelligite, ut neq; negetis Dei gratiam, neq; liberum arbitrium sic defendatis, ut à gratia Dei separetis.* Rursus ep. XLVII. ad eundem Valentinum: *Fides sana & catholica neq; liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam: neq; tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid.* Scripsit quoq; peculiarem librum de libro arbitrio: & alium de gratiâ & libero arbitrio. In quorum posterioris cap. II. inter alia & hæc sunt: *Ipsa divina præcepta homini non prodesse, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret.* Et paucis interjectis: *Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium?* Existis omnibus, ut & ex aliis id genus, Viri docti mentem Augustini ita capiunt, ut putent, eum nobis prorsus ad stipulari. Nec sanè potest aliter, si modo vocabulis idem designare

designare voluerit Augustinus, quod iisdem vocabulis designaverant antiquiores, Tertullianus, Cyprianus, Hilarius. Hi cum scripserunt hominem circa actiones suas, etiam bonas & rectas, liberum arbitrium habere, hoc sibi voluerunt, hominem non fatali quadam necessitate bene agere, sed ita ut etiam possit aliter agere. Estque *proutis* illa non aliter accepta quam & in scholis Philosophicis usurpari solet. Apud Philosophos liberum arbitrium sive voluntatis libertas nihil aliud est quam quod illud quod velle possumus, possumus etiam non velle ac prorsus omittere. Quam quidem voluntatis libertatem in civilibus & quotidianis negotiis satis observare licet. Volumus subinde ambulare, & ambulamus quoque; ita tamen ut id quoque possimus omittere. Sic & subinde volumus aliquid emere, & emimus quoque; ita tamen ut id quoque omittere queamus. Et talia quidem velle possumus naturam. Sed naturalis ista potentia quam voluntatem dicimus, non exporrigit se, per naturam quidem, ad quævis objecta, & ad quosvis actus. Sunt nonnulla quæ istam facultate, qua superiora illa solemus velle, haud perinde velle possumus; nisi si novæ vires nobis divinitus suppedientur. Non enim sumus idonei per nos ipsos ad cogitandum quippiam: sed quod idonei sumus, id omne est à DEO, ut est in II. Cor. III. Ubi vero voluntati nostræ & illud accessit, ut possit res divinas & spirituales velle, junctum illi itidem est liberum arbitrium, & voluntas tunc ita potest bonum velle, ut tamen etiam possit idem non velle & neglectui habere.

LIV. Sed nescio, ut ad Augustinum redeam, an is quoque vocabula sic intellexerit, cum liberum arbitrium defendit: & annon ipsam modo voluntatem intellexerit; non vero indifferentiam ejus quam vocant, sive liberum arbitrium. Licet sanè Augustini scripta versanti observare, ipsum nomine liberi arbitrii sæpe idem significare quod aliàs vocabulo voluntatis significare solet; & liberum arbitrium ipsum modo negare, modo affirmare. Quomodo affirmaverit, id ex variis ejus verbis quæ jam produximus, videre licet. Quod vero & negaverit, ejus exemplum est in Enchiridio ad Laurentium, c. XXX: *Libero arbitrio utens homo & se perdidit & ipsum.* Sicut enim qui se occidit, utiq; vivendo se occidit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est & liberum arbitrium. Item in lib. XIV. de Civ. D. c. XI: *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum virtus peccatis non servit. Tale datum est*

à DEO, quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Quandoque
 verò restrictione utitur. Ut in epist. CVI. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Hic non
 simpliciter dicit, liberum arbitrium amissum esse; sed, perdidisse nos
 liberum arbitrium ad diligendum Deum. Sic & lib. III. c. ep. Pelag.
 c. VIII: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet: ad justitiam verò nisi divinitus liberatum adjutumq; non valet.* Item Enchiridii
 cap. CVI: *Liberum arbitrium liberandum est à servitute, cui dominatur cum morte peccatum.* Ceterum in his locis, & cum liberum arbitrium
 prorsus amissum dicitur, & cum mansisse quidem dicitur, sed captivatum;
 divinitus verò liberari, refici; utrobique, inquam, ipsa voluntas videri possit
 intelligi. Ut ita, cum liberum arbitrium dicit captivatum esse, sed à Deo liberari,
 adjuvari, refici, hoc sibi velit, ipsam quidem voluntatem hominis post lapsum
 mansisse, sed non posse tamen hominem per eam voluntatem res quoq;
 divinas & spirituales velle: cum verò liberum arbitrium prorsus amissum dicit,
 intelligat liberum arbitrium ad diligendum Deum sive voluntatem diligendi D E I.
 Vult inquam, dicere, mansisse quidem voluntatem, sed hanc tamen non porrigere
 se ad quævis objecta, & ad quosvis actus, ad res quoq; divinas & spirituales.
 Quod verò ipsam voluntatem in his intelligi velit Augustinus, id videtur ex eo
 liquere posse, quod alibi eadem de voluntate scribit. Ut in epist. CXLIV. ad Anastasium:
Voluntas humana nec libera dicenda est, quamdiu est vincens & vincens cupiditatibus subdita.
 Quod antea dicebat, liberum arbitrium captivatum esse, idemque liberari & adjuvari,
 id nunc dicit voluntatem vincens & vincens cupiditatibus esse subditam. ubi verò
 non amplius subdita fit, tunc demum liberam dici posse. Sic & in libro de gradibus
 & lib. arb. vocabulorum permutatione non semel utitur. Si igitur Augustinus
 per liberum arbitrium non nisi ipsam voluntatem intellexerit, nondum liquere
 nobis possit, ipsum in fide ac bonis operibus fidelium poluisse etiam
 indifferentiam quandam, quique boni & pii sunt, citra fatalem necessitatem
 tales esse ipsum statuisse. Certè in omnibus istis locis quæ produximus,
 nondum apparuit, quod indifferentiam istam tam disertè exprimat, quam
 superiora Cyprian, Hilarii, Hieronymi atque aliorum verba.

L.V. Videndum autem, annon paulò disertius alicubi scripserit idem Augustinus. Primo consideremus illa verba quæ sunt in lib. de sp & lit. c. XXX: *Vide nunc utrum quisq; credat, si noluerit. Quod si absurdum est (quid est enim credere nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem utiq; volentis est) profectò fides in potestate est. Vult autem Deus omnes homines salvos fieri & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè utentes justissimè judicentur.* Et c. XXXVI: *Quando Deus agit cum animâ rationali, ut ei credat, profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei vel ab eâ dissentire propriæ voluntatis.* Videntur hæc sic satis manifesta esse, ut Augustinum indifferentiam & contingentiam bonarum quoq; actionum ita velle credamus. Dicit, Deum sic velle homines salvos, ut tamen eis non adimat liberum arbitrium, sed vel bene vel malè eò uti permittat. Dicit item, consentire vocationi vel ab ea dissentire propriæ voluntatis esse. Dixerat quoq; in eodem cap. XXXIV. *Deum agere vel extrinsecus per Evangelicas exhortationes, vel intrinsecus, ubi nemo habeat in potestate quid veniat in mentem: consentire tamen vel dissentire propriæ voluntatis esse.* Quæ, nisi fallor, illud rinniunt, eum qui consentiat, ita consentire, ut tamen etiam possit non consentire, vel quod idem est, dissentire. Sed videamus plura. Libro III. de lib. arbitrio, c. I. ita habet: *Morus quo hoc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atq; in nostrâ potestate. neg, laudandus, cum ad superiora, neg, culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis.* Hic etiam eodem argumento utitur, quo Justinum Irenæum, atq; alios usos esse supra diximus; nisi morus voluntatis voluntarius esset & in nostrâ potestate, neminem laudandum aut culpandum esse. In cap. III. ejusd. libri & hæc reperiuntur: *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostrâ potestate. Porro quia est in potestate, libera est in nobis. Non est enim nobis liberum, quod in potestate non habemus.*

L.VI. Atq; ita satis & abunde apparuit, quanto consensu ea doctrina quam nos nunc defendendam suscepimus, tradita sit ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus. Et merito igitur fassus est Calvinus, multis seculis ita traditum & creditum esse, ut habet nostra sententia. Wendelinus autem & alii inepti prorsus sunt, quod hanc sententiam non orthodoxorum

xorum, sed Pelagii, antiqui illius hæretici fuisse purant, eamq; ut dogma Pelagianum traducunt. An unquam lectum est istis hominibus, Pelagium propterea damnatum esse, quod dixisset divinam gratiam; sufficientem illam, posse rejici ac repelli: posse fieri, ut quem Deus conversum cupiat, cuiq; satis virium ad id largiatur, non tamen convertatur? Capita illa propter quæ Pelagius cum asseclis in conciliis Africano & Palæstino damnatus est, satis nota sunt. Augustinus lib. de naturâ & gratiam compendio ea proponit, cum duobus his capitibus complectitur, *naturam humanam neq; in parvulis medico indigere, quia sana sit: & in majoribus sibi ipsi ad justitiam posse sufficere, si velit.* Vincentius Lerinensis autem in Commonitorio primo, c. XXXIV. breviter sic proponit: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus, per actus singulos adjuvandum, necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum ejus discipulum Celestium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit astrictum?* Ex his intelligitur, Pelagium peccatum originale & defectum justitiæ originalis negasse: contra vero asseruisse, posse hominem per vires naturales credere & alia Deo grata opera præstare. Quantum igitur Catholica sententia distet à Pelagianâ, id facile intelligitur. Catholica quidem sententia est, per naturam in homine non esse ullas, & ne minimas quidem vires quibus in Christum credere & alia Deo grata opera præstare possit; ut autem præstari hæc possint, necessum esse ut novæ homini vires suppeñitentur à Deo. Ubi tamen jam suppeñitentur illæ, posse tamen hominem ex istis viribus vel agere, vel non agere; quemadmodum per vires naturales agere ita potest ut tamen etiam possit non agere & actionem suspendere. Pelagius autem multò aliter docuit; nimirum divinam gratiam ad fidem & pietatem non esse necessariam, & posse hominem solius naturæ viribus Deo grata opera præstare. Agnoscebat quidem gratiam quandam, sed non internam illam quæ novas vires in homine excitet, sed externâ modo promulgatæ legis & remissionis peccatorum, ut in epist. Concilii Carthaginensis ad Innocentium & in aliis Veterum scriptis memoræ proditum est.

SOLI DEO GLORIA.



L.V. Videndum autem, annon paulò disertius Augustinus. Primo consideremus illa verba quæ c. XXX: *Vide nunc utrum quisq; credat, si noluerit (quid est enim credere nisi consentire verum esse quæ tem utiq; volentis est) profectò fides in potestate omnium hominum salvos fieri & in agnitionem veritatis ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male dicentur. Et c. XXXVI: Quando Deus agit cur credat, profectò & ipsum velle credere Deus operaturibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem dissentire propriæ voluntatis.* Videntur hæc sic Augustinum indifferentiam & contingentiam boni statuisse credamus. Dicit, Deum sic velle hominibus eis non adimat liberum arbitrium, sed vel bene vel male. Dicit item, consentire vocationi vel ab ea voluntatis esse. Dixerat quoq; in eodem cap. X. *vel extrinsecus per Evangelicas exhortationes, vel in beat in potestate quid veniat in mentem: consentire propriæ voluntatis esse.* Quæ, nisi fallor, illud consentiat, ita consentire, ut tamen etiam possit quod idem est, dissentire. Sed videamus plurimum arbitrio, c. I. ita habet: *Morus quo hoc aut illud volens esset voluntarius atq; in nostrâ potestate. neq; laudandus neq; culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquebat nem voluntatis.* Hic etiam eodem argumento Irenæum, atq; alios usos esse supra diximus; nisi voluntarius esset & in nostrâ potestate, nemine culpandum esse. In cap. III. ejusd. libri & hæc reperitur: *nec voluntas esset, nisi esset in nostrâ potestate. Porro cur ita est in nobis. Non est enim nobis liberum, quod in*

L.VI. Atq; ita satis & abunde apparuit, quæna quam nos nunc defendendam suscepimus, tractatione Doctoribus. Et merito igitur factus est *ita traditum & creditum esse, ut habet nostra sententia autem & alii inepti prorsus sunt, quod hanc sententiam*

rit idem
p & lit.
rdum est
ensio au-
m Deus
tamen,
ssimè ju-
ali, ut ei
in omni-
vel ab eâ
, ut Au-
tionum
tamen
permit-
ria vo-
agere
nemo ha-
entire
qui con-
tine, vel
e lib. ar-
ur, nisi
riora,
in cardi-
tinum.
atis vo-
aut cul-
s nostra
ate, libe-
abemus.
doctri-
quis Ec-
is seculis
delinus
thodo-
xorum

